



5363



19 Јануара 1927. М. Младенов

Почтова

183.

Бр. 574.

Македонија
0/1. б

Из Европе
М. Младенов
Почтова





5563



19 Januar 1927.

Wien Michaelerstrasse

182

Nº 374.

SANCTI SALVIANI
MASSILIENSIS PRESBYTERI
OPERUM OMNIUM,
Quæ extant,
TOMULUS SECUNDUS.

1. MARCH 1842. 10

2. FEBRUARY 1842. 10

3. MARCH 1842. 10

4. APRIL 1842. 10

5. MAY 1842. 10

6. JUNE 1842. 10

7. JULY 1842. 10

8. AUGUST 1842. 10

9. SEPTEMBER 1842. 10

10. OCTOBER 1842. 10

11. NOVEMBER 1842. 10

12. DECEMBER 1842. 10

13. JANUARY 1843. 10

14. FEBRUARY 1843. 10

A S S E R T I O N E S
E X U N I V E R S A
T H E O L O G I A ,

Q U A S

I N A L M A , A C C E L E B E R R I M A A R C H I - E P I S C O P A L I
S O C I E T A T I S J E S U

U N I V E R S I T A T E T Y R N A V I E N S I

*Anno Salutis M. DCC. LXIII. Mensē Julio die
boris ante & pomeridianis publice propugnandas
suscepit*

Rev. Nobil. Excellens, ac Doctissimus Dominus

ANDREAS HORVATH. AA. LL. & Phi-
losophiæ Magister, SS. Theologiæ in 4tum annum
Auditor, ejusdemque Baccalaur. Form. nec non pro
suprema ejusdem Laurea Candid. Ant. Sem. S. Steph.
Regis Hungariæ Alumnus Presbyter Archi-Diœc.
Strigonicensis.

E X P R A E L E C T I O N I B U S

R. P. JOSEPHI PINTÉR, e S. J. Sacro-
Sanctæ Theol. Doctoris, ejusdemque Professoris
Ordin. nec non Inclitæ Facult. Theol.

D E C A N I S P E C T A B I L I S .

E T

R. P. CAROLI ROTH, ex eadem
Soc. JESU, SS. Theolog. Doctoris, ejusdemque
Professoris Ordinarii.

АРХЕОЛОГИЯ

СТАРИНА И КУЛЬТУРА

ДРЕВНИЙ ВОСТОК И ЕВРОПА

ИСКУССТВО И КУЛЬТУРА ДРЕВНЕГО ВОСТОКА

ДРЕВНИЙ ВОСТОК И ЕВРОПА

DIVO STEPHANO. REGIO HUNGARORUM A P O S T O L O.

QUEM
ANTE PENE, QUAM IPSA NASCERETUR,
PATRIO HUNNIA ORBI DEDIT;
CERTO VELUT OMINE:
UT, QUÆ SUPERSTITIONUM SUO IN ORTU
SEDES HABERETUR,
NATALE DEIN SANCTORUM AUDIRET SOLUM

D I U
FATEOR, NON RARO DESUDANT SÆCULA,
UT RARAM, QUÆ VIRTUTE EXPLEAT ORBEM,
FORMENT INDOLEM.

H I C
OMNEM RETRO ÆTATEM VIRTUTE
ANTECESSIT, CERTUS:
HAUD PRIUS REGIAS CAPESSERE TRABEAS,
QUAM SUBJECTUM REGIREGUM ASPECTET ORBEM.

N E C M O R A:
SACROS UNDE UNDE COGIT
P R Æ S U L E S,
FUNDAT EPISCOPATUS,
DICANDAS UNI DEO ERIGIT, ET DOTAT ÆDES.

SANCTIS SIMUL PIA SYDERA ADSUNT CÆPTIS,
S I M U L
RELIGIONIS FUNDATORI,
ECCLESIAE VINDICI,
SEDIS APOSTOLICÆ PROPUGNATORI,
REGIA CÆLITUS MINISTRANT PRÆMIA;
ANGELICO DIADEMATE
SACRUM INCINGUNT VERTICEM,
ET REGIO PRINCIPEM IMPONUNT THRONO.

U R B S,
ARCANO INSTINCTA NUMINE,
APOSTOLI TITULUM ADJICIT,
A FATIS, RITU SOLENNIORE,
SANCTORUM ALBO INSERIT.

H U I C I T A Q U E
SANCTISSIMO HUNGARORUM PROTO PARENTI,
SEMINARII S. STEPHANI TYRNAVIENSIS,
PATRONO TITULARI,

Se positioneque suis Theologicas

D. D. D.

ANDREAS HORVÁTH.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

I.

Fides, Theologica ut est habitus, est principium supernaturale permanens, physice effectivum actus, est assensus supernaturalis, præstitus rebus a Deo revelatis, propter autoritatem Dei revelantis. **II.** In objecto materiali Fidei sunt res omnes a Deo revelatae; Propositio universalis revelata sufficit ad credenda Fide Divina singularia in ea contenta, quando adest certitudo saltem moralis de inclusione singularium in Universali. In objecto formalis Fidei, est sapientia, & veracitas Divina principaliter, & secundario partialiter etiam ipsa revelatio Divina. **III.** Omnibus adultis peccatoribus omni tempore necessaria fuit necessitate medii ad salutem fides explicita Dei, quod fit & quod remunerator fit; eadem necessitate post promulgatam legem Evangelicam necessaria est ad salutem omnibus adultis peccatoribus, fides explicita Mysterii SS. Trinitatis, & Incarnationis. **IV.** Regulae Fidei sunt: primo: Scriptura Sacra. Secundo: Quæ in lege Evangelica existunt, Traditiones Divinae, quæque æqualem cum Scriptura Sacra habent autoritatem. **V.** Ecclesia Christi est visibilis; Est una, Sancta, Catholica, Apostolica, quæ sunt notæ ejus veræ, soli Ecclesiæ Romanae propriæ. Eadem est infallibilis, in rebus ad fidem & mores pertinentibus. Item in decidenda Orthodoxia, Heterodoxia textuum dogmatorum. Quare exstat in ea Judex infallibilis Controversiarum Fidei & Religionis. **VI.** S. Petrus accepit a Christo Primatum honoris, & Jurisdictionis in omnes fideles, adeoque universam Ecclesiam. Hic Primatus transit ad omnes ejus successores, qui sunt Episcopi Romani. Nullus unquam Pontifex erravit in fide, loquens ex Cathedra, nec errare potuit. **VII.** Spei Theologicæ objectum materiale primarium, est Beatitudo supernaturalis, principaliter quidem objectiva, quæ est Deus, secundario formalis, seu visio

&

& amor Beatificus. Secundarium omnia bona, non tantum supetnaturalia, sed etiam naturalia, creata, ad salutem conducibilia. Objectum materiale primarium Charitatis Theologicæ, est Deus. Secundarium: Proximus. Formale est bonitas Dei absoluta.

DE GRATIA SALVATORIS, MERITO, ET PECCATO.

VIII. **G**ratia interna actualis, sita in supernaturali illustratione mentis, & inspiratione, seu pia motione voluntatis, in statu naturæ lapsæ, necessaria est absolute ad omnes omnino actus salutares, etiam ad initium Fidei, & salutis. IX. Gratia efficax non consistit in delectatione cœlesti, per gradus relative vietrici, ac voluntatem ad consensum antecedenter necessitante. Nec in Prædeterminatione Physica, aut morali. Nec in Decreto concomitante, sed in auxilio superno, natura sua repudiabili, verum tamen congruo, & quod infallibiliter prævidetur per scientiam medium, habiturum effectum, si detur. X. Itaque gratia efficax in actu primo considerata, est complexum ex absoluta auxilio, cum utroque extremo conjungibilis, existentia, & consensu creaturæ conditionate futuro. XI. Datur gratia vere, ac mere sufficiens, etiam relate ad oppositam concupiscentiam, quæ effectu caret culpa voluntatis humanæ, semper præsto est Justis ad servanda mandata, & ad perseverandum in statu gratiæ. Datur eadem adultis peccatoribus, etiam induratis pro loco & tempore, si non proxime, remote saltem sufficiens ad conversionem; imo & infidelibus omnibus, ad salutem. XII. Gratia habitualis est inhærens Justitia remissiva formaliter peccati, & Sanctificeatrix hominis Justi, ac incomponibilis Metaphysice cum peccato mortali. Sita est probabilius in peculiari inhabitacione Spiritus S. in anima Justi. XIII. Ad meritum de condigno requiritur defacto ex parte operis: ut sit actus moraliter bonus & supernaturalis; ex parte merentis, status viæ & gratiæ; ex par-

parte Dei: promissio mercedis. Ad meritum de congruo, status viæ & actus honestus ac supernatura-
lis, atque ad meritum de congruo, infallibiliter effec-
tum habiturum, promissio hujus effectus a Deo fa-
cta. XIV. Peccatum est libera transgressio legis Di-
vinæ. Mortale in nulla ratione est proprio & simpli-
citer infinitum. Peccatum originale ab Adamo per
generationem naturalem in omnes ejus posteros, se-
cluso speciali privilegio, est transfusum, quali privile-
gio exempta est B. V. M. quæ hoc peccatum non con-
traxit, & immunis etiam fuit a debito proximo illud
contrahendi. Pœnæ damnatorum sunt æternæ.

DE INCARNATI VERBI MYSTERIO.

XV. EX Vaticiniis Prophetarum veteris legis invicte
adversus Judæos demonstratur Messiam jam
venisse, eumque esse JESUM, Matre MARIA semper
Virgine natum sub Augusto, mortuum in cruce sub
Tiberio. Hic Christus verus Deus est, & homo ve-
rus. Unica in eo est Persona Verbi, duæ naturæ in-
tegræ, inconfusa: Duæ voluntates, & operationes
distinctæ. XVI. Unio Verbi Divini cum natura hu-
mana est Physica, substantialis, Hypostatica. Proba-
bilis est solum relatio realis resultans ex Verbo, na-
tura humana, & Decreto toti SS. Trinitati communi,
quo statutum est, ut Verbum caro fieret. XVII. In-
carnatio ex suppositione humani generis lapsi, ac re-
parandi per viam condignæ satisfactionis, aut condi-
gni meriti fuit necessaria. Hæc reparatio defacto fi-
nis erat Incarnationis ita, ut si Adam non peccasset,
Christus vi moderni Decreti non venisset. XVIII.
Decretum prædefinitivum Christi ut Redemptoris, po-
tuit fieri ante Scientiam Visionis de peccato Adæ ab-
solute futuro; probabiliusque defacto factum est, de-
pendenter a Scientia media de peccato Adæ conditi-
onate futuro. XIX. Christus ex vi Unionis Hyposta-
ticæ fuit qua homo Sanctificatus Sanctitate increata
& creata, ac impeccabilis, retenta libertate ad sube-

undam mortem quoad substantiam. XX. Hæc liber-
tas conciliatur proinde cum irripecabilitate ; & utra-
que cum præcepto rigoroso , dispensabili tamen , & ,
si Christus velit, infallibiliter dispensando. Ex hoc
præcepto Christus defacto mortem subiit probabilius,
& pro omnibus omnino hominibus. Satisfactio , &
merita Christi sunt valoris simpliciter infiniti. XXI.
Christus etiam qua homo actorandus est cultu Latræ
absolutæ. B. Dei Mater cultu Hyperdulæ absolutæ ,
SS. vero cultu Dulæ absolutæ. Laudabilis etiam , &
licitus est cultus Hyperdulæ , ac Dulæ respectivæ ,
qui impenditur Imaginibus Deiparæ , & SS. quas ha-
bere , & retinere fas est , imo & Imagines Dei , SS.
Trinitatis. XXII. Pius , ac laudabilis est cultus Sacra-
rum reliquiarum. Pia , ac utilis est invocatio SS.

DE JURE, ET JUSTITIA.

XXIII. **L**icitus usus facti in rebus uno usu consum-
ptilibus, separabilis est a Dominio & de-
facto separatus apud Religiosos nonnullos D. Franci-
isci institutum professos. Clerici habent Dominium re-
dituum suorum , etiam congrua sustentationi super-
fluorum. Præscriptio legitima transfert Dominium in
præscribentem , etiam pro foro conscientiæ. XXIV.
Error omnis circa substantiam , reddit contractum sim-
pliciter nullum ; error circa accidens , non item ; sed
si sit solubilis , rescindibilem , vel alio remedio sanan-
dum. Testamentum , et si non privilegiatum , si sit so-
lum defectu solemnitatum a Jure requisitarum , & ex-
ternarum , imperfectum , validum est pro foro interno.
XXV. Sola Justitia commutativa , est Justitia stricte ta-
lis. Judex in causis criminalibus majoribus , quæ vi-
tam vel membra accusati petunt , non potest condem-
nare juridice reum , quem privata notitia scit esse in-
nocentem. Radix restitutionis : est res accepta , & in-
justa acceptio. Ex hac non oritur obligatio restituен-
di ante sententiam Judicis , cum damnum datum est
per culpam mere juridicam , absque culpa Theologica.

DE

DE DEO UNO, ET TRINO.

I.

NOtitia existentia Dei adeo facile comparari potest, ut nemo hominum rationis usu plene præditus longiore tempore ea invincibiliter careat. Essentia Dei physica formaliter, & explicite omnes & singulas perfectiones absolutas, materialiter & implicite etiam relativas perfectiones complectitur. II. Escentiam Divinam videri posse ab intellectu creato certum est contra Palamam. Summa Dei simplicitas excludit omnem distinctionem realem, non tamen distinctionem rationis ratiocinatae tam inter naturam & attributa Divina, quam inter ipsa attributa Divina. III. Singula attributa, ac prædicata absoluta Deo realiter identificata, sunt perfectiones simpliciter infinitæ, imo perfectiones simpliciter simplices. Quodlibet etiam prædicatum relativum in Divinis est ratione sui specialis perfectio, eaque pura, ac suo in genere simpliciter infinita, non tamen simpliciter simplex. IV. Scientia Dei in se entitative simplex & unica, pro diversitate objectorum, recte dividitur in scientiam simplicis intelligentiae, visionis, & medianam inter utramque. Per simplicem intelligentiam Deus cognoscit seipsum, & quasvis creaturas possibles, per scientiam visionis videt contingentia præterita, præsentia, & absolute futura, per medianam cognoscit actus creaturæ liberos conditionante futuros absque decreto subjective absoluto, objective conditionato. V. Datur in Deo vera voluntas; datur item vera libertas. Motivum voluntatis Divinæ est sola bonitas, & perfectio Deo ipsi intrinseca. VI. A Divina providentia gubernari omnia Sapientiores etiam Ethnici agnoverunt. Hæc se peculiariter extendit ad actiones nostras salutares, nempe quas dependenter a scientia media prædefinivit. Prædestinationem electorum ad coronam, & impiorum reprobationem ad pœnam factam esse post merita, & demerita absolute prævisa colligitur tum ex S. literis, tum ex Sanctis Patribus. VII. Certum est contra Valentinianos, aliosque hæreticos, esse

in

in Deo tres Personas distinctas realiter, consubstantiales, videlicet Patrem, & Filium, & Spiritum S. ita, ut quævis harum Personarum sit vere & proprie Deus æternus, rerumque omnium Creator, & tamen omnes tres simul non sint plures Dii, sed unus in substantia Deus: nec alia in hoc mysterio datur distinctio, quam personalis mixta identitate essentiali. In hypothesi Græcorum, si Spiritus S. non procederet a Filio, vi illationis formalis non distingueretur ab eodem realiter.

DE ANGELIS, ACTIBUS HUMANIS, ET BEATIVUDINE.

VIII. **A**ngeli sunt substancialiter spirituales, natura sua immortales. Boni a Deo constituti sunt Custodes hominum, & probabilius singuli homines habent Custodem Angelum. IX. Actus humanus est siat ex metu, vel concupiscentia, est simpliciter voluntarius; ut meritorius esse possit, requiritur libertas tum a coactione, tum a necessitate, & in praesenti statu lapsi hominis datur talis libertas. X. Regula actuum humanorum remota est lex æterna Dei, proxima est dictamen conscientiae. Dictamen hoc licet non physice aut metaphysice, tamen moraliter saltem debet esse certum, & licet in moralibus incertis non liceat sequi sententiam libertati faventem, si illam motivis absolute & respettive gravibus niti incertum sit; licet tamen, si talibus innixam esse constet, quamvis opposita favens legi paribus, aut gravioribus inniti videatur, modo non occurrat adjunctum ad hanc præ illa sequendam restringens. XI. Finis positive ultimus actuum humanorum est beatitudo obiectiva, quæ non aliud bonum ullum est, quam æternum: hoc bono beati fruuntur inæqualiter, vide licet juxta mensuram gratiarum sanctificantis, & meritorum hujus vitæ. XII. Finis ultimi possessio habetur per Dei visionem intuitivam, & per amorem amicitiae: item per certitudinem de utriusque perpetuitate.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

XIII. **S**acramentum Legis Evangelicæ est signum sensibile a Christo permanenter institutum ad significandam, & causandam internam animæ sanctitatem.

XIV. Septem sunt novæ Legis Sacraenta, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, Matrimonium. Singula hæc sunt a Christo immediate instituta, habentque virtutem conferendi ex opere operato gratiam sanctificantem.

XV. Singula Sacraenta novæ Legis perficiuntur rebus sensibilibus tanquam materia, & verbis tanquam forma; Characterem imprimit Baptismus, Confirmatio, & Ordo. Character hic est quid mere respectivum.

XVI. Ad valorem Sacramentorum in Ministro non sufficit intentio iudicra, uti nec mera externa, sed requiritur interna faciendi saltem generatim, quod Christus instituit, & facit Ecclesia. Certum est nec fidei requiri in Ministro ad valorem, nec improbitatem Ministri obesse valori Sacramentorum.

DE SACRAMENTIS IN SPECIE.

XVII. **M**ateria remota Sacraenti Baptismi est sola aqua elementaris, proxima autem ablutio corporis per immersionem, vel affusionem, aut aspersionem facta. Forma ejusdem sunt verba, quibus distincta trium Divinarum Personarum invocatio, subjectum, & actio Ministri exprimitur. Parvulis necessitate medii, adultis necessitate etiam præcepti necessarium esse certum est contra Socinum.

XVIII. Spectatis Scripturæ, SS. Patruin, ac Conciliorum verbis materiam, & formam Confirmationis in specie infima determinasse Christus non videtur. Hinc quamvis in Ecclesia Latina ex præcepto adhiberi debeat impositio manuum Episcopi super confirmandum, & Unctio Chrisniatis cum oratione illi, & verbis huic respondentibus, probabiliter tamen ad valorem Sacramenti sufficeret alterutra sola cum forma respondentे.

XIX. Christus Dominus pridie mortis suæ post Agnum Paschalem e ritu legis Mosaicæ manducatum

instituit Sacramentum Eucharistiae; pro materia ejus remota panem triticeum non tamen determinate azymum, pro materia calicis vinum de vite. Forma Sacramenti sunt haec, vel æquivalentia verba: *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus* XX. Corpus & sanguis Christi ita existit in Eucharistia, ut per verba consecrationis tota substantia panis in corpus, & vini in sanguinem speciebus tantum remanentibus convertatur. XXI. Fide certum est, Ecclesiam accepisse a Christo potestatem per Sacramentum Pœnitentiae remittendi quævis peccata ita, ut nullum sit peccatumante finem vitæ consummatum, quod ab Ecclesia per hoc Sacramentum non possit remitti. XXII. Contritio et si non sit charitate perfecta, si modo prælucente fide concipiatur ex metu gehennæ, aut consideratione turpitudinis peccati, ac cum spe venia conjugatur, est actus honestus & supernaturalis, & ad Sacramenti Pœnitentiae naturam, fructumque sufficit. XXIII. Sacramentum Extremæ Unctionis post resurrectionem a Christo institutum, & per Jacobum Apostolum fidelibus est promulgatum. Materia illius est oleum olivæ; Forma sunt haec verba: *Indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum &c.* XXIV. Non modo Presbyteratus, sed & Episcopatus, & Diaconatus sunt verum Ordinis Sacramentum. Minister Sacramenti Ordinis, est solus Episcopus, ita, ut neque Summus Pontifex, neque Ecclesia ulli alteri hoc ministerium delegare possit. XXV. Matrimonii Sacramentum constituitur ex actibus contrahentium tanquam ex materia, & ex verbis Sacerdotis eos conjungentis tanquam forma; hinc Minister hujus videtur esse Sacerdos. Ad essentiam hujus contractus non spectat usus Matrimonii, neque ejusdem usus propositum.

O. A. M. D. G.



SALVIANI
MASSILIENSIS ECCLESIAE
PRESBYTERI
EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA.



Amor! quid te appellem,
nescio; bonum, an malum,
dulcem, an asperum, sua-
vem, an jucundum? Ita
enim utroque plenus es, ut utrumque
esse videaris. Amari a nobis nostros, ho-
nestum est; laedi, acerbum. Et tamen
hoc ejusdem est interdictum animi, ejus-
demque pietatis; & cum specie dissentiat,
ratione concordat. Amor quippe nos fa-
cit nostros amare; amor interdum cogit
offendere. Utrumque unum est; cum
tamen aliud amoris habeat gratiam, aliud

odii patiatur offendam. Quam grave hoc,
quæso, mi dilectissimi, aut quam acerbum
est, ut causa odii, amor esse cogatur?
Quod quidem cum sœpe aliis, tum etiam
mibi accidisse nunc satis vereor; ut, dum
adolescentem hunc, quem ad vos misi,
tradere individuis meis cupio; uni stu-
dens, multis molestus sim, & amor ejus,
offensa sit cæterorum: quanquam ii, qui
satis diligunt, non cito offendantur. Sed
ego insinuationem meam minus gratam
fore quibusdam timens, etiam imminu-
tionem gratiæ offendam puto. Placere
enim dilectis meis plurimum cupiens, mo-
lestiam illorum, reatum meum credo; &
nisi eis satis placuero, supplicium dispi-
centis fero. Quanquam hoc metuendum
in vobis omnino non sit; qui totum me
in vos recipientes, etiam apud alios pro
me timetis. Tantum enim abest, ut di-
splicere ego charitati, ac sensui vestro pos-
sim, ut etiam illud mecum reformidetis,
ne ego quibusdam forte displiceam, mi-
dulcissimi, ac dilectissimi mei. Adele-
scens, quem ad vos misi, Agrippinæ cum
suis captus est, quondam inter suos non
parvi nominis, familia non obscurus, do-
mo non despabilis, & de quo aliquid
fortasse amplius dicerem, nisi propinquus
meus esset. Hoc enim fit, ut minus di-
cam,

eam, ne de meipso dicere videar, de illo
plura dicendo. Matrem ergo is, de quo
dico, Agrippinæ viduam reliquit, pro-
bam, honestam, & de qua forsitan auda-
cter dicere valeam, vere viduam. Nam
præter cæteras castimoniæ, sapientiæque
virtutes, est etiam fide nobilis, quæ omni-
bus semper ornatibus ornamento est: quia
sine hac nihil tam ornatum est, quod or-
nare possit. Hæc ergo, ut audio, tan-
tæ illic inopix, atque egestatis est; ut ei
nec residendi, nec abeundi facultas sup-
petat: quia nihil est, quod vel ad viætum,
vel ad fugam opituletur. Solum est, quod
mercenario opere viætum quæritans, uxo-
ribus barbarorum locatitias manus subdit.
Ita, licet per Dei misericordiam vinculis
captivitatis exempta sit, cum jam non ser-
viat conditione, servit paupertate. Hæc
igitur habere me hic nonnullorum san-
ctorum gratiam non falso suspicans (nec
enim nego, ne negator gratiæ ingratus
fiam; sed plane, sicut habere me eam
non nego; ita non mereri me certo scio:
in tantum, ut, etiamsi est aliqua in me
illa, ego tamen illius causa non sim: quia
si qua est in me gratia, ob eos, ni fal-
lor, maxime data est, quorum intererat,
ut gratus essem; ut verendum forsitan
mihi sit, ne negans his, quod propter

eos cœpi ; non tam meam rem his negare videar , quam ipsorum) hæc igitur aut id , quod est , aut plus , quam est , in me esse existimans , misit ad me hunc , quem ad vos ego * fore , ut agente me , & adnitente , amicorum meorum gratia , propinquorum meorum esset auxilium . Feci ergo id , quod rogatus sum ; sed tamen parce , & apud paucos , ne gratia ipsa ingrate uterer . Commendavi hunc aliis , commendando vobis ; licet non æque aliis , ut vobis . Primum , quia commendari satis vobis eum , qui est meus , ita , ut ipsum me , non necesse est . Deinde , quia , cum me portionem vestri existimat , necesse est , eum , qui mei portio est , vestri quoque aliquatenus portionem esse ducatis . Postremo , quod commendatio ipsa sicut diversi generis , ita etiam excellentioris est charitatis . Aliis enim commendavi hunc corpore , vobis spiritu ; aliis in emolumenta præsentium , vobis in spem futurorum ; aliis ob brevia , atque terrena , vobis ob sempiterna , atque Divina . Et recte : ut , quia carnalia vobis minus , quam spiritualia bona suppetunt ; illa magis a vobis peterem ; quibus vos magis abundatis . Suscipite ergo , quæso , hunc , ut mea viscera , & quantum in vobis est , vestra facite ; illicite , & adhortamini ,

docete, instruite, formate, gignite. Christi Domini nostri misericordia tribuat, ut, quia ei id magis expedit, qui nunc propinquus meus est, & cæterorum; vester esse incipiat potius, quam suorum. Admittite, quæso, hunc in illas beatas, ac sempiternas domus, recipite in sacra horrea, aperite cœlestes thesauros; & ita agite, ac peragite, ut, dum hunc in thesaurum vestrum conditis, partem thesaurorum ipsorum esse faciatis. Potens est illa ineffabilis Dei pietas, ut, dum eum in consortium spiritualium bonorum adoptatis, divitias, quæ in ipsum effunditis, per ipsum augeatis. Et sane, si quid in ipso est bonæ indolis, non magnæ vobis difficultatis spes ejus, ac salus esse debebit: etiamsi nihil ex vobis audiat; sufficere ei hoc ipsum convenit, quod vos videt.
Valete.

A D E U C H E R I U M.

E P I S T O L A II.

Eucherio Episcopo Salvianus.

URsicus alumnus tuus salutationem tuam proxime ad me detulit: si non Iesus; laudos sapientiam, licet non probem falsitatem: si jussus; miror, quod mandare amo-

ris officium, quam scribere maluisti, hoc est, per servum potius, quam per te dare. Arguo itaque hoc, & emendari volo; si tamen negligentiae est, non superbiæ. Predissequa enim plerumque novi honoris est arrogantia; licet in te nec generalis vitiæ opinio admittenda sit: quia prope singularis est mens, ac benignitas tua. Unde responderi a te antiquæ existimationi meæ etiam nunc jugiter cupio; ne, si in quibusdam officiorum tuorum mos discrepavit, aliquid in te novis honoribus licuisse videatur.

A D A G R I C I U M.
E P I S T O L A III.

Agricio Episcopo Salvianus.

Si excusare inofficiositatem meam apud sanctimoniam tuam cupiam, magis accusandus sim: qui inexcusabilem me esse vel non agnoscam præstoliditate, vel nolim præsuperbia confiteri. Non excuso ergo: augmentum enim reatus est, innocentiam jactare post culpam. Quid igitur faciam, cui nec negandi delicti facultas suppetit, nec tuendi? negare enim manifesta non audeo, & excusare immodica non possum. Consugiendum mihi itaque ad Divinarum est remedia litterarum, quæ maximorum criminum ***

AD

AD SOCERUM, ET SOCRUM.

EPISTOLA IV.

*Ypatio, & Quietæ Parentibus Salvianus,
Palladia, & Auspiciola salutem.*

PAULUS APOSTOLUS, electionis vas, magister fidei, & receptaculum Dei, cum omnes epistolas suas, utpote eloquentissimus vir, dictaverit; quibusdam tamen non suum tantum nomen inscripsit: siquidem in aliis Silvani, in nonnullis Timothei, in quibusdam vero utriusque nomini suum nomen adjunxit. Cur id? primum, credo, ut simul esse agnoscerentur, qui simul scriberent: deinde, ut ii, qui separatim ab unoquoque eorum edocti fuerant, scirent omnium non discrepare sententiam: postremo, ut, quos singulorum non movebat auctoritas, omnium saltem moveret assensus. Ita ergo & nos, exemplorum ingentium parvi imitatores ad vos, quos natura Parentes, fide fratres, honore dominos habemus, non, ut Apostoli illi, auctoritate docentium scribimus, sed humilitate famulorum; ut, qui hactenus singulorum nostrorum epistolis moti non estis, vel nunc omnium observatione moveamini, nosque filios vestros, * neque ex superfluo metus sit, * & simul

sciatis esse , & unum sentire pariter , & metuere , & æqualiter supplicare. Non, quia sciamus, an vos omnibus irascamini; sed quia nos non possumus causa esse divisi. Idem enim nobis admodum metus est , etiam si non eadem videtur offensa. Charitas quippe mutua facit, ut, licet vos non utrique forsitan succenseatis; uno tamen ex nobis reo, alter sine tristitia reatus esse non possit. Illud sane est, quod nos contendere in aliquo , & certare mutuo faciat, quod, cum ambo filii vestri æqualiter rei simus; plus tamen unusquisque nostrum pro altero , quam pro se timet. Parentes charissimi! Parentes reverentissimi! interrogari vos , quæsumus , liceat: ita possunt pignora sic amantia non amari? quid tantum mali commeruimus, vel affectus dilectissimi, vel domini reverentissimi , ut nobis nec tanquam filiis redatur gratia , nec tanquam famulis remittatur offensa? Septimus jam ferme annus est , ex quo nulla ad nos tam longe a vobis fitos scripta misisti. Nullis pene in Deum delinquentibus tam longum lugendi tempus imponitur , nulos admodum maximorum criminum * ut plus amet, scilicet, ut Patris motus non detrimenta amoris sint , sed profectus; cum quantum coercitio attulerit unius correctioni, tan- tum

etum corre&gio reddat mutuæ charitati.
Quanquam hoc illos magis Parentes fa-
cere conveniat , qui de nonnullis negotiis
veras irascendi filiis causas habent. Tu
autem quid succenses , qui ex quo Chri-
stianus factus es , etiam falsas habere de-
sist? Esto enim conversiunculam nostram
paganus quondam non æquanimiter ac-
ceperis : ferenda tunc fuit ex dissimi-
litudine studiorum etiam discrepantia vo-
luntatum ; quando nobis , etsi amor non
succensebat , supersticio tamen adversaba-
tur. Nam licet Pater non odiasset filium ;
error tamen oderat veritatem. Nunc
longe aliud est : ex quo Dei cultum pro-
fessus es , pro me pronunciasti. Si præ-
teritas irarum causas exsequeris ; imputa
tibi , qui Christiano filiam tuam dedisti.
Si id non est ; quid mihi irasceris , quia
eam nunc in me religionem augere cu-
pio , quam tu in te probare cœpisti? Cur,
rogo , in me non diligas , quod es , qui in
te , quod eras , ipse damnasti? Sed par-
cendum paululum verbis est : quia etiam
in bona causa humilis esse , in quantum
res finit , filii apud Parentes debet oratio.
Indulgete , affectus charissimi : liberiorem
me esse paululo in negotio suo Dei affe-
ctus facit. Si quæ sunt vobis aliæ suc-
censiendi causæ , peccare me potuisse non

abnego. In hoc vero quia ideo succense-
tis, quia Christum amare videor, igno-
scite, quod dicturus sum. Peto quidem
veniam, quia irascimini; sed non possum
dicere malum esse, quod feci. Hæc igi-
tur apud vos meo nomine, & quasi pe-
culiari prece. Nunc tu, ò dilectissima,
ac venerabilissima soror! quæ mihi tan-
to charior es, quam prius, quanto plus
a suis affectus convenit diligi, in quibus
seipsum Christus fecerit amari; fungere
partibus tuis simul, meisque. Ora tu,
ut ego impetrem, tu postula, ut uter-
que vincamus. Osculare, quia absens la-
biis non vales, saltem obsecratione pedes
Parentum tuorum quasi ancilla, manus
quasi alumna, ora quasi filia. Ne trepi-
daveris, ne timueris: bonos judices ha-
bemus; affectus ipse pro te orat, natura
ipsa tibi postulat, suffragia causæ tuæ in
tuorum mentibus habes: cito annuunt,
qui suo ipsi amore superantur. Obsecra
ergo, & supplex dicio: Quid feci, quid
commerui? ignoscite, quidquid illud est.
Veniam peto, et si delictum nescio: nun-
quam vos, ut ipsi seitis, inofficiositate,
aut contumacia offendii, nunquam verbo
asperiore læsi, nunquam vultu protervio-
re violavi: a vobis sum viro tradita, a
vobis conjugi mancipata. Teneo, ni fal-
lor,

lor, mandata vestra, hæret sensibus meis
sanctum piæ præceptionis arcanum. Mo-
rigeram me, ut puto, ante omnia viro
esse jussistis: vestræ voluntati obsecuta
sum, vestræ iussioni obtemperavi; illi in
omnibus parui, cui me parere voluistis.
Invitavit me ad religionem, invitavit ad
castitatem: date veniam; turpe credidi
reluctari, res mihi verecunda, res pudens,
res sancta visa est. Fateor, cum de tali
negotio mecum ageret; erubui, quod
non ante cœpisssem. Huc accessit etiam
reverentia Christi, & affectus: honeste
me facere credidi, quidquid Dei amore
fecisset. Advolvor vestris, ô Parentes
charissimi! pedibus, illa ego vestra Pal-
ladia, vestra gracula, vestra dominula;
cum qua his tot vocabulis quondam in-
dulgentissima pietate lusissis; quæ vobis
per varia nomina nunc fui mater, nunc
avicula, nunc domina; cum esset scili-
cet unum vocabulum generis, aliud in-
fantiæ, tertium dignitatis. En ego illa
sum, per quam vobis illa primum & Pa-
rentum nomina, & avorum gaudia con-
tigerunt, &, quod utroque præstat, u-
trumque feliciter, cum fructu adipiscendi,
& beatitudine perfruendi: non quia hinc
ego aliquid mihi deputem; sed tamen
ingrata apud vos esse non debet, per quam

vos

vos voluit Deus esse felices. Ne, quæso,
ergo molestum vobis sit, quod referre
aliquid Deo cupio, cui omnia repensare
non possum. Pleni estis solatis jucun-
disimis, pleni pignoribus charissimis, ple-
ni benedictione Divina; præter peculia-
rem mei causam, vestrum negotium re-
ferre Deo gratiam jubet: debere me ei
arbitor, quod vobis tanta concessit. Sed
hæc hactenus. Sufficienter enim jam per
nos, ô charissima soror! precati sumus:
reliqua sunt agenda per filiam. Ultamur
ergo, (honeste enim pro reconciliando
Parentum affectu cuncta tentantur) uta-
mur illorum more, & exemplo, qui ul-
timo causarum loco aliqua nonnunquam
ad commovendam judicum misericordiam
proferebant laturis sententiam discepta-
toribus, aut lamentantes matresfamilias,
aut sordidatos senes, aut plorantes par-
vulos ingerentes; scilicet, ut, qui supe-
riora causæ verbis jam exoraverant; po-
steriora rebus ipsis perorarent. Offeri-
mus ergo & nos vobis, ô charissimi Pa-
rentes! pari quidem illorum, sed tamen
gratiore suffragio. Offerimus enim pi-
gnus non incognitum, sed domesticum;
non alienum, sed proprium; nec, ut illi
oratores, & sibi, & judicibus extraneum,
sed nobis simul, vobisque commune; quæ

vos

vos, utique vestri sanguinis indoles, non ad incognitorum hominum cogit dilectionem, sed ad vestrorum revocat charitatem; nec alienos vobis aliena, sed vestros vestra commendat: neque id orat, ut eos ametis, quos nunquam ante vidi-stis, sed ut eos non oderitis, quos, puto, non diligere non potestis. Vestrum ideo, Parentes charissimi, negotium, vestra res est, vester id a vobis animus, vestra charitas deprecatur: ne, quæso, tantum nobis irascamini, ut nec vobis consulatis, supplicante vobis ***** commune pignus per nos simul, atque nobiscum, & primam pene ad vos vocem pro nostri emittit offensa. Infelix prorsus ejus, & miseranda conditio! quæ avos suos ex Parentum pri-mum reatu cœpit agnoscere. Miseremini, quæsumus, innocentia ejus, miseremini necessitatis: cogitur quodammodo pro offensa suorum jam supplicare, quæ adhuc nescit, qvid sit offendere. Læsus quon-dam Ninivitarum peccatis Deus, vagitu infantium, & ploratione mollitus est. Nam licet totum legamus luxisse populum; præcipuam tamen misericordiam meruit fors, & innocentia parvulorum, dicente ad Jonam Deo: *Si valde contristatus es Jon. 4.* super cucurbitam: & paulo post: *Ego non parcum super Ninive civitatem ma-*
gnam


gnam, in qua morantur plus, quam centrum viginti millia, qui non cognoverunt sinistram suam, aut dexteram? Declarans scilicet propter sinceritatem innocentium se etiam culpis nocentium pepercisse. Sed quid ego de Dei misericordia loquor? qui non tantum postulata tribuit, sed interdum etiam non sperata largitur; tantoque, si dici licet, major est hominibus humanitate, & benevolentia, quanto potestate, atque natura. Paratum, ut ait Livius, inter Romanos, Sabinosque bellum, &, quod difficilius sedari potest, cœptum, preces quondam, & interventus charorum pignorum sustulerunt; cumque una eorum gens esset natura ferox, alia dolore fervens; tantum tamen visio affectus mutui valuit, ut nec Romanus memor esse belli, nec Sabinus posset injuria; & illi paulo ante feri, ac semibarbari, cognati sanguinis cupidi, sui prodigi, amplecti se mutuo inciperent, quia pignus mutuum jam habere cœpissent, fieretque unus uterque populus, quia unus utriusque esset affectus. Nos non in acie stamus, non arma sumimus, non vim inferimus, nec propulsare tentamus; impium fore arbitrantes, si vel in hoc filii Parentibus obvient, ne puniantur injusti. Cur, rogo, quod illi quondam affectus pro suis ob-

obtinuerunt, nostri non queant impetrare pro nobis? An ideo infelicissimi pene omnium, ideo minus meremur veniam, quia repugnare nescimus? Quod vultis nos pati, patimur. Si irascimini; deprecamur: si puniendos creditis; adquiescimus. Quid, rogo, ultioni post ista superest? Certe etiamsi justas succensendi causas Parentes habeant; nihil contingere eis felicius, nihil optatius potest, quam, ut sic eis pro reatu filii satisfaciant, ne necesse habeant vindicare. Quid autem est, in quo magis possimus vobis nos satisfacere? Filii vestri sumus, qui vos rogamus; neptis, per quam rogamus. Parcite, indulgete illi. Eorum Parentes charissimi pro se rogan, ob quorum soletis nomina etiam extraneis nil negare. Longum est de innumeris pietatis, atque humanitatis exemplis dicere, & præpostorum, ut de majoribus ad minora veniamus. Sed tamen id, quod dicturus sum, specie quidem minus est, sed tamen re minus non est. Perorans quondam pro periculo existimationis, atque incolumitatis suæ in Romano foro Servius Galba, cum ob difficultatem negotii, & invidiā facti sui parum non modo in causa, sed etiam in eloquentia spei poneret; arte usus est, ut judicū animos, quos inflēt.

Etene precum ambitione non poterat, rerum tentaret affectu. Itaque consumptis jam admodum cunctis oratoriæ artis ingenioque subsidiis, cum parum se promovisse intellexisset; parvulum, quem secum habebat, Galli, ut illis temporibus videbatur, clarissimi, & nuper mortui viri filium, & parvas ante subsellia auditorum indoles suas in confessu judicum, conspectu que produxit: quos cum laturis sententiam disceptatoribus oratione flebili commendaret, fractæ affectu omnium mentes, & inclinatae sunt. Quid plura? fatum est, ut inflexis cunctorum sensibus, daret misericordia humanitati, quidquid ambitioni veritas denegaret. O affectus humani quanti estis! quantum valetis, qui etiam in judicio jus habere potuistis! Discite, ô Parentes charissimi! venia vestri dictum sit, discite vel hoc saltem exemplo frangi, atque molliri. Certe etiam illic misericordia valuit, ubi locum esse misericordiae non licebat. Laturi sententiam judges, qui nihil se, nisi ex veritatis officio pronunciatus esse juraverant, excludere tamen misericordiam nec post sacramenta potuerunt: in tantum humanitate moti, ut dum alieno negotio confundunt, suum pene obliviscerentur. Nihil vos durum, nihil insolens deprecamur:

Ve.

Vestrīs vos præstāte pro vobis , quod præstiterunt illi extraneis contra se . Certe nec causa illic justior , nec persona charior , nec audientia humanior , nec orator gratior fuit . Illic agebatur pro crīmine , hic pro affectu ; illic pro extraneis , hic pro filiis : illic apud juratos judices , hic apud injuratos Parentes ; illic per oratorem , qui circumscribere nitebatur , hic per neptem , quæ , quo vos ipsa infantiae suæ simplicitate plus moveat , adhuc rogare non novit . Quid est , quod causæ desit ? quod novum inquirendum est , inauditumque suffragium ? num extraneorum apud vos precibus utendum est ? Semper in amore cautela est . Nemo enim melius diligit , quam , qui maxime veretur offendere . Unde ego nunc veniam peto : non quia offendisse me noverim ; sed ut locum offendæ penitus non relinquam : nec conscientia culpæ ; sed ratione , & officio charitatis , ut majorem apud te affectus gratiam obsecratio mereatur innoxii , & amori proficiat supplicatio reatu carens ; habeasque plus in filii tui deprecatione , quod diligas , si non habes , quod remittas . Quanquam temere fortasse nobis de innocentia blandiamur , quid tu de nobis sentias nescientes : tui enim nobis sensus magis , quam nostræ opinionis ratio



5563

habenda est. Supereft ergo , ut si quid aliud , & quidquid illud commisſum a nobis est , tu , qui id offensā dignum putas , venia quoque non indignum arbitreriſ. Pulchre tibi ipſe in tuorum reatu ſatisfacieſ. Nihil de ultione perdit , filio ignoſcens Pater : quia felicius multo eſt , & laudabilius , ſuis aliquem etiam immerito ignoſcere , quam in fuos etiam merito vindicare. Vale.

A D C A T T U R A M. EPISTOLA V.

Catturæ Sorori Salvianus.

Rom. 13. **E**T si docente Paulo Apostolo , quid conveniat nos orare nescimus , quo fit , ut interdum quid velle , aut gaudere oporteat , nesciamus ; tamen ego pro communi humani generis affectu (quo omnes admodum homines pie magis , quam sapienter , eos , qui nobis curæ ſunt , cupimus quam diutissime eſſe nobifcum) gaudeo , quod poſt gravem , diuturnumque morbum , ſpem etiam praefentis vitæ indepta eſt , quæ futuræ ſemper habuisti. Benedictus itaque Dominus Deus noster , qui ſemper ſpiritus tui custos , nunc præcipue etiam carnis fuit ; & in te manens , teque custodi-

diens, manum suam ex interioribus tuis usque ad exteriora porrexit; nec solum sancta sanctorum, sed etiam vestibula templi sui, & circumsepta servavit; protectionemque suam latius fundens, fecit salutem animæ tuæ usque ad salutem corporis pervenire. Quamvis ego ne hanc quidem tibi, quam pertulisti, terrestris vasculi infirmitatem obfuisse existimem, cuius fortitudo, ut scis, menti semper inimica est. Ut te jure nunc tanto fortiorum spiritu putem, quanto imbecillior carne esse cœpisti. *Caro enim*, inquit Gal. 5.
Apostolus, concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem. Hæc enim invicem sibi adversantur, ut non, quæ vultis, illa faciatis. Ergo si repugnante corpore, quæ volumus facere, non possumus; infirmandum carne est, ut optata faciamus. Et verum est: imbecillitas enim carnis, mentis vigorem exacuit, & affe-
Vide filio
pra lib. 1.
de gube.
pag. 170
Etis artibus, vires corporum in virtutes transferuntur animorum; ut mihi genus quoddam sanitatis esse videatur, hominem interdum non esse sanum. Nulla enim admodum tum spiritui cum corpore, id est, nulla Divinæ indolicum terreno ho-
ste luctatio est. Non turpibus flammis medullæ æstuant, non malesanam men-
tem latentia incentiva succendunt, non

vagi sensus per varia oblectamenta lasci-
viunt; sed sola exultat anima, læta cor-
pore affecto, quasi adversario subjugato.
Gaudc ergo, alumna Christi; semper qui-
dem simplicis, & quietæ, sed nunc ma-
gis defæcatæ tuæ mentis, & liberæ ostium
aperi, & attrahe, ut legis, spiritum san-
ctum. Nunquam, ut puto, habitatore
Deo dignior extitisti; quanto imbecillior
corpore, tanto purior sensu: vincenti-
bus carnem tuam morbis, mente vicisti.
Felix, si hanc semper corporis mortem in
vitam spiritus conservaris. Extinctis in te
forsitan cunctis humanarum tentationum
incentivis, habere quodammodo naturam
animæ etiam in carne cœpisti; ut mihi
non solum magna Dei dispensatione, sed
etiam magno munere & ante ægrotasse,
& nunc convalescere videaris. Ægrotasti
enim haec tenus ad virtutem spiritus con-
firmandam, secura forsitan sanitatem nunc
adipiscens jam carne superata, ut post-
hac redditam corpori incolumentem sine
ulla animæ infirmitate possideas, & ita ca-
ro valere incipiat, ut jam tentatio non
resurgat. Vale.

AD LIMENIUM.

EPISTOLA VI.

*Limenio Salvianus in Domino
salutem.*

ET si scio, honestas mentes probi affectus non oblitisci, ideo, quia boni in bonis studiis, quasi naturam quodammodo suam diligunt; tamen quia, quantum in nobis est, augere nos amorem bonorum amicorum officio nostro convenit, admonendum te charitatis olim a me cœptæ, nuper a te auctæ existimavi: ut legens epistolas meas, dum in me studium tui amoris videris; in te mei accenderes. Dabit autem, non ambigo, Deus noster, ut affectum Christianorum intercipiens, Christi ipse affectus fias. Vale in Domino.

AD APRUM, ET VERUM.

EPISTOLA VII.

Apro, & Vero Salvianus.

Officii sit, an impudentiæ, quod prius ad vos scripsi, quam a vobis jus scribendi acciperem; malo vestri esse judicii, quam assertionis meæ: quia res dubia, ac latens melius semper bonis interpretatoribus,

B 3 quam



quam malis defensoribus creditur. Sed licet hæc vere se ita habeant, & a me ita esse ducantur; tamen, si quid in veri opinione secundum intelligentiam meam sit, audiendum a me putatis. Ego sic arbitror, si quando de officio deferendo parvis, ut ego sum, apud superiores, ut vos estis, sancta contentio est; melius eos facere, si præoccupent scripto patronos suos, quam si ab iis præoccupentur. Nam cum ipsa scribendi, rescribendique assiduitas dandis vel maxime, & reddendis obsequiis deferatur; multo, necesse est, humilius sit, & obsequentius dare quempiam operam, ut officium prius deferat, quam expectare, ut prius capiat. Quia juxta id, quod supra diximus, delatio officii, fugere honorem, dissimulatio, affectare videatur. Congrue ergo, & multis modis rationabiliter actum est, ut ego ad vos prius scriberem. Primum: quia turpiter ad honorem ambisse viderer inferior. Deinde: quod vos ab omni hujuscemodi opinionis nota ita morum uestrorum dignitas vindicat, ut pene, quidquid a vobis fit, nihil non recte factum esse credatur. Postremo: quod, etiamsi hoc consilio vos ad me non scripsissetis, ut ego peccator, & imbecillus prius deferrem officia, quam sumerem; pio magis id vos

con-

consilio fecisse existimandum erat, quam arroganti. Cum enim totius ferme humilitatis, & prope omnium officiorum palmam indepti sitis; non tam credi poterat vos amico voluisse honorem negare, quam onus noluisse imponere. Quamvis enim honestum, & religiosum studium sit, præoccupare humilitate, & vincere; tamen quando inter tales, ut nos sumus, id est, inter summos, atque infimum hujuscemodi negotium est; abundantioris charitatis rem major facit, si minori cedat officio. Hæc, mi Domini Venerabiles, juxta opiniunculam meam non tam præsumptione scientiæ, quam honore reverentiæ vestræ scribenda ad vos putavi. Si aliud vos sentire ostenderitis; ego manum ad os meum ponam: ut juxta exemplum sancti Job, qui post Divinam vocem in comparationem loquentis Dei parvum se, & imbecillum esse cognovit, tecram me, ut sum, squalidam, & insincerum cicarem judicabo, dicamque illud: Semel locutus sum; non adjiciam. Nec immerito: incidere enim in falsæ opinionis errorrem, priusquam vera cognoscas, imperiti animi est, & simplicis; perseverare vero in eo, postquam agnoveris, contumaciæ. Valete.

EPISTOLA VIII.

Domino, & Dulcissimo Eucherio Episcopo Salvianus Presbyter.

LEGI LIBROS, quos transmisisti, stylo breves, doctrina uberes, lectione expeditos, instructione perfectos, menti tuae, ac pietati pares. Nec miror, quod tam utile, ac pulchrum opus ad institutionem potissimum sanctorum, ac beatorum pignorum condidisti. Cum enim eximum in eis templum Deo ædificaveris; doctrina novæ eruditionis quasi summum ædificii tui culmen ornasti, &, ut indoles sanctæ æque doctrina, ac vita illustrarentur, quos morali institutione formaveras, spirituali instructione decorasti. Supereft, ut Dominus Deus noster, cuius dono admirandissimi juvenes tales sunt, pares eos faciat libris tuis; id est, ut, quidquid illi continent in mysterio, hoc uterque illorum habeat in sensu. Et quia jam dispensatione Divina, atque judicio etiam magistri Ecclesiarum esse cœperunt; donet hoc benignissimi Dei pietas, ut doctrina illorum fructus sit Ecclesiarum, & tuus; profectuque excellentissimo tam illum ornent, a quo sunt geniti, quam eos, quos ipsi

ipſi ſua iſtitutione generaverint: mihi-
que hoc, etſi non inter omnia, certe vel
poſt omnia miſericors Deus tribuat, ut,
qui fuerunt diſcipuli quondam mei, ſint
nunc quotidie oratores mei. Vale mi Do-
minus, & dulcis meus.

A D S A L O N I U M.

E P I S T O L A IX.

*Domino, ac beatissimo diſcipulo, filio, &
Patri: per iſtitutionem diſcipulo, per
amorem filio, per honorem Patri, Salo-
nio Epifcopo Salvianus.*

Quæris a me, ò mi Saloni, charitas mea! cur libellis nuper a quodam hujus temporis homine ad Eccleſiam factis, Timothei nomen iſcriptum ſit? Addis præterea, quod, niſi rationem vocabuli evidenter expreſſero; dum nominantur Timothei, inter apocrypha ſint fortalſe reputandi. Ago gra-
tias, atque habeo, quod de me ita judi-
cas, ut pertinere hoc aſtimes ad fidei
meæ curam, ne quid eccleſiaſtici operis
vacillare permittam; ſcilicet, ut res ſum-
mae ſalubritatis non ſit minoris pretii per
opinionis incertum. Sufficere itaque ad
excludendam penitus apocryphi ſtyli ſu-
ſpicionem etiam hoc ſolum poterat, quod

superius indicavi, libros neotericæ disputationis esse, & a præsentis temporis homine Divinarum rerum studio, atque amore conscriptos. Carent enim apocryphi suspicione, qui agnoscuntur Timothei Apostoli non fuisse. Sed requirit forsitan aliquis, quis ille auctor sit, si Apostolus non est, & utrum suum libellis ipsis, an alienum nomen inscripsit? Verum est, potest hoc quidem quæri, & recte quæritur, si inquisitio valet ad fructum aliquem pervenire. Cæterum, si infructuosa est, quid necesse est, ut laboret curiositas, cum profectum curiositatis non sit habitura cognitio? In omni enim volumine profectus magis quæritur lectio-
nis, quam nomen auctoris. Et ideo, si profectus est in lectione, & habet, quisquis ille est, quod potest instruere lectu-
ros; quid ei cum vocabulo, quod juvare non potest curiosos? ita, ut dignissime huic inquisitori angelicum illud respon-
tab. 5. deatur: *Patriam quæris, an mercenariorum?* Cum enim nullus profectus sit in nomine; qui profectum in scriptis invenit, superflue nomen scriptoris inquirit. Causæ ergo, ut dixi, ista sufficiunt. Sed quia tibi, ô mi Saloni, decus nostrum, atque subsidium! negare nihil possumus, evidentiora dicemus. Tria sunt, quæ in
 li-

libellis istis, de quibus loquimur, quæri possunt: cur is, qui scripsit, ad Ecclesiæ scripserit? & utrum alieno nomine, & an suo? si non suo, cur alieno? & si alieno, cur Timothei potissimum nomen, quod scriberetur, elegerit? Igitur, ut libelli ad Ecclesiæ scriberentur, hæc causa est: scriptor ille, ut etiam scripta ipsa testantur, habet hunc in se cultum, atque affectum Dei, ut Deo nihil præponendum putet, secundum illud scilicet Domini nostri dictum, quo ait: *Qui amat filium, aut filiam plus, quam me; non est me dignus.* Matt. xi. Qamvis dictum hoc tepidissimi, ac negligentissimi quique homines solo tantum persecutionis tempore putent esse servandum. Quasi vero ullum omnino tempus sit, quo præferri aliquid Deo debeat; aut, qui persecutionis tempore pretiosiorem omnibus rebus Christum habere debet; reliquo omni tempore habere debeat vilorem. Quod si ita est, amorem Dei persecutioni debebimus, non fidei; & tunc tantum poterimus, quando nos impii persequentur: cum utique aut majorem, aut certe non minorem tranquillis, quam asperis rebus affectum Domino debeat. Quia & hoc ipso a nobis plus debet diligi, quia nos a malis non patitur affligi; indulgentia scilicet piissimi

Pa.



Patris nobiscum agens, qui magis vult nos in pace, & quiete fidem nostram religiosis operibus ostendere; quam in persecutione pœnis nostrorum corporum comprobare. Et ideo, si tunc ei nil præferendum est, quando nobiscum aspere agitur, ne tunc quidem præferri debet, quando per indulgentiam plus meretur. Sed hæc alii tempori magis congruunt. Nunc, quod cœpimus, exequamur. Videns igitur scriptor ille, quem diximus, graves, atque multiplices Christianorum pene omnium morbos, atque a cunctis in Ecclesia positis non solum non postponi omnia Deo, sed prope cuncta præponi: nam & ebriosi in ebrietatibus Deum spernere videntur, & cupidi in cupiditate, & impudici in libidine, & cruenti in crudelitate, & in his omnibus pene omnes: atque hoc eo gravius, quod non solum hæc per scelus atrocissimum diu admittuntur, sed ne postea quidem per pœnitentiam corriguntur; maxime cum etiam in his, qui pœnitentes esse dicuntur, nomen sit magis pœnitentia ipsa, quam fructus: quia parum sunt rerum vocabula ipsas res non habentia, & nihil virtutum verba sine viribus. Plurimi namque, ac pene cuncti, & rerum abundantes, & consciit cri-
minum, ac flagitiorum suorum, non modo ea,

ea, quæ admirerunt, exomologesi, ac satisfactione, sed ne hoc quidem, quod facillimum est, donis saltem, ac misericordiis redimere dignantur. Atque non solum id in prosperis negligunt, sed, quod multum irreligiosius, in adversis; non solum incolumes, sed etiam deficientes. Tanta incredulitas est hominum, & tam gravis infidelium languor animalium, ut, cum multi maximas opes hæredibus, interdum etiam extraneis derelinquant; hoc solum se putant perdere, quod pro spe sua dederint, ac salute. Et quidem istud licet in omnibus fere grave sit; præcipue in his tamen, quos in consimili crimine infidelitatis etiam professio sanctitatis accusat. Sed idem morbus hic non secularium tantum est, sed eorum etiam, qui sibi nomen religionis usurpant. Et ideo videns ille, qui scripsit, communè esse hoc malum prope universorum, labemque hanc non ad mundiales tantum homines, sed etiam ad pœnitentes, atque conversos, ad viduas quoque jam continentiam professas, atque ad puellas in sacris altaribus consecratas, quodque, ut ita dixerim, prope inter monstra reputandum est, ad Levitas etiam, atque Presbyteros, &, quod his feralius multo est, etiam ad Episcopos pervenisse, ex qui-


quibus multi, quos supra dixi, sine affe-
ctibus, sine pignore, non familias, non
filios habentes, opes, & substantias suas
non pauperibus, non Ecclesiis, non sibi
ipsis, non denique, quod his omnibus ma-
jus est, ac præstantius, Deo, sed secula-
ribus, vel maxime, & divitibus, & extra-
neis deputarent; factus est in corde ipsius,
Psal. 71. sicut scriptum est, zelus Domini quasi
ignis ardens, &, quia æstuantibus sacro
affectu medullis suis, aliud in tali æstu
facere non potuit; in vocem doloris erupit.
Vox autem ipsa, cui impenderetur, nullus
magis idoneus visus est, quam Ecclesia;
cujus utique pars ipsi erant, qui ista fa-
ciebant. Superflue enim uni, aut paucis
scribitur, ubi est causa cunctorum. Hæc
ergo ratio & persuasit, & compulit, ut
libelli, de quibus loquimur, ad Ecclesiam
mitterentur. Nunc illud dicimus, quod
secundum est, scilicet: cur in titulo libel-
lorum non sit nomen auctoris. Cujus rei
licet una sit causa maxima; multæ tamen,
ut reor, esse potuerunt. Ac prima illa
veniens a mandato Dei, quo præcipimur
vitare omnibus modis terrestris gloriæ va-
nitatem, ne, dum humanæ laudis inanem
aurulam quærimus; præmium cœleste per-
damus. Ex quo etiam illud est, quod &
orari Deus, & donari occulte jubens, vult
nos

nos fructum boni operis commendare secreto: quia nulla sit major fidei devotione, quam, quæ conscientiam vitat hominum, Deo teste contenta. *Nesciat enim*, inquit Salvator, *manus tua sinistra, quid faciat dextera tua, & Pater tuus, qui videt in absconso, reddet tibi.* Et ideo scriptori illi ad subtrahendum e titulo nomen suum, atque celandum sufficere hæc tantummodo causa potuit; ut, quod in honorem Domini sui fecerat; Divinæ tantum conscientiæ reservaret, & res commendabilior Deo fieret, quæ famam publicam devitasset. Sed tamen, quod confitendum est, præcipuum illud fuit: quia scriptor ille, ut legimus, humilis est in oculis suis, ac vialis sibi, exiguum se penitus, atque ultimum putans: & hoc, quod majus est, mira fide, non officio humilitatis assumptæ, sed judicii simplicis veritate. Unde est, quod jure se etiam ab aliis talem habendum putans, qualis a semetipso haberetur; recte libellis suis alienum nomen inseruit; scilicet, ne auctoritatem salubribus scriptis personæ suæ parvitas derogaret: omnia enim amodo dicta tanti existimantur, quantus est ipse, qui dixit. Siquidem tam imbecilla sunt judicia hujus temporis, ac pene tam nulla, ut, qui legunt, non tam considerent,

quid

quid legant; quam cujus legant, nec tam dictionis vim, atque virtutem, quam dictatoris cogitent dignitatem. Idcirco igitur scriptor ille abscondi, & latitare omnibus modis voluit, ne scripta, quæ in se habent plurimum salubritatis, minora forsitan fierent per nomen auctoris. Habet itaque, quisquis ille est, qui requirit, cur alienum nomen assumptum sit. Restat dicere, cur Timothei. Quod ut dicamus, ad auctorem denuo reversuri sumus. Is enim causarum omnium causa est: qui, sicut humilitati præstítit ut alienum, sic timori, atque cautelæ, ut Timothei nomen scriberet. Pavidus quippe est, & formidolosus, ac nonnunquam etiam levium mendaciorum fugax, atque in tantum peccare metuens, ut interdum, & non timenda formidet. Cum ergo subtrahere e titulo nomen suum, & inferere vellet alienum; timuit in hac nominum commutatione mendacium, nequaquam scilicet admittendam putans etiam in officio sancti operis maculam falsitatis. Positus itaque in hoc ambiguae opinionis incerto, optimum fore credidit, ut bcati Evangelistæ sacratissimum sequeretur exemplum; qui in utroque Divini operis exordio Theophili nomen inscribens, cum ad hominem scripsisse videatur, ad amorem

rem Dei scripsit; hoc scilicet dignissimum esse judicans, ut ad ipsum affectum Dei scripta dirigeret, a quo ad scribendum impulsus esset. Hoc ergo etiam scriptor hic, de quo loquimur, usus est argumen-
to, atque consilio. Conscius enim sibi,
sic se omnia in scriptis suis pro Dei hono-
re, sicut illum pro Dei amore, fecisse;
qua ratione ille Theophili, hac etiam hic
Timothei nomine scripsit. Nam sicut
Theophili vocabulo amor, sic Timothei
honor Divinitatis exprimitur. Itaque cum
legis Timotheum ad Ecclesiam scripsisse;
hoc intelligere debes, pro honore Dei ad
Ecclesiam scriptum esse, immo potius
ipsum honorem Dei scripta mississe: quia
recte ipse scripsisse dicitur, per quem fa-
ctum est, ut scriberetur. Hac causa igi-
tur in titulo libellorum Timothei nomen
inscriptum est. Congruum siquidem scrip-
tor ille existimavit, ut, cum in honorem
Dei libellos scriberet; ipsi Divinitatis ho-
nori titulum consecraret. Habes, ô mi-
Saloni, charitas mea! habes, quod exe-
gisti, implevi opus muneris imperati. Su-
pereft, ut, quia ego functus sum partibus
meis, & tu fungaris tuis; id est, ores
Dominum Deum nostrum, & orando im-
petres, ut libelli ad Ecclesiam Christi ho-
nore conscripti, tantum apud Deum scri-




ptori suo prosint , quantum eos prodeesse
ipse omnibus cupit. Nec injustum, pu-
to, est desiderium, quo tantum sibi ali-
quis præstari postulat pro salute, quan-
tum ipse optat cunctis pro charitate.

Vale mi Saloni , decus nostrum,
atque subsidium.



SAL.



SALVIANI
MASSILIENSIS PRESBYTERI
LIBER PRIMUS
ADVERSUS AVARITIAM.

Timotheus minimus servorum Dei, Ecclesiae Catholicæ toto orbe diffusæ. Gratia tibi, & pax a Deo Patre nostro, & Christo Iesu Domino nostro, cum Spiritu sancto, Amen.



Nter cæteros graves, atque mortiferos exitialis pestilentiarum morbos, quos tibi antiquissimus serpens gravissima lethiferæ æmulationis invidia, & teterrimo illo virosum oris spiritu inhalat, nescio, an ulla te acerbior animarum infidelium pestis, & tertiæ filiorum tuorum labes conficiat, quam, quod plerique ex tuis parum existimant, si in hac vita rebus sibi ad opus sanctum a Deo traditis sine fructu misericordiarum, atque humanitatis incumbant; nisi avariciam, id

est, idololatriæ servitutem, etiam in futura post mortem tempora extendant.

Colloq. 5. Circumspicis fortasse, & circumspetas, qui isti ex tuis sint, quos appellem? Non longa tibi inquisitione opus est ad inveniendum. Omnes, inquam, omnes pene hoc sunt, quod loquor. Abiit quippe illa egregia, ac supereminens, dudum primitivæ plebis tuæ beatitudo, qua omnes Christum agnoscentes, caducas rerum mundialium facultates in sempiternas cœlestium possessionum opes conferebant, mutantes sensum præsentium in præclaram spem futurorum, immortales dvitias præsenti paupertatis ambitu ementes. At nunc pro his omnibus avaritia, cupiditas, rapina, quæque his sociæ, & quasi germana unitate conjunctæ sunt, invidiæ, iniamicitiæ, crudelitates, luxuriæ, impudiciæ, perditiones: quia superiora illa istorum usibus militant, successere; ac sic, nescio, quomodo pugnante contra temetipsam tua felicitate, quantum tibi auctum est populorum, tantum pene vitiorum; quantum tibi copiæ accessit, tantum disciplinæ recessit; & prosperitas venit quæstuum cum magno fœnore detrimentorum. Multiplicatis enim fidei populis, fides imminuta est; & crescentibus filiis suis, mater ægrotat; factaque es, Ecclesia,

sia, profectu tuæ fæcunditatis infirmior, atque accessu relabens, & quasi viribus minus valida. Diffudisti siquidem per omnem mundum religiosi nominis membra, religionis vim non habentia : ac sic esse cœpisti turbis opulens, fide pauper ; quanto ditior multitudine, tanto egentior devotione, largior corpore, angustior mente ; eademq;, ut ita dixerim, & in te major, & in te minor, novo pene, & inaudito genere processus, & recessus crescens simul, & decrescens.

Ubi enim est illa nunc eximia formæ tuæ, & totius corporis pulchritudo ? Ubi illud de vivis virtutibus tuis Divinorum apicum testimonium dicens : *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una : & nemo quicquam ex eo, quod possidebat, suum esse dicebat?* Cujus tu nunc, ô dolor, ac lamentatio ! lectio- nem tantum habes, virtutem non habes ; cui quantum scientia , tantum interim conscientia abes. Maxima quippe nunc filiorum tuorum portio mortiferarum rerum negotiatrix est ; propolisque, & cau- ponibus similis terrenis, immo tartareis, perituris simul, atque perdentibus studet nundinis. Lucro enim pecuniaæ damnum vitæ ementes, ut acquirant, quæ non sunt sua , prodigunt, quæ sunt sua ; mandan- tes terræ thesauros, luctuosis hæredibus

breve gaudium, auctoribus longum mœ-
rem allatuos; fraudantes usū rerum
præsentium tam alios, quam seipso, con-
dentes profundis specubus infernas opes,
simul pecuniam suam, ac spem suam in-
fodientes; secundum illud scilicet Domi-
Mat. 10. ni nostri dictum, quo ait: *Ubi fuerit
thesaurus tuus; ibi erit & cor tuum.* In-
vident itaque saluti suæ, animasque pro-
prias, quæ vocantur ad cœlum, terrenis
ponderibus in terram premunt. Mens
enim thesaurizantis, thesaurum suum se-
quitur, & quasi in naturam terrestris sub-
stantiæ demutatur, nec solum nunc, sed
etiam in futuro, atque perpetuo. Nam
cum, ut scriptum est, ante hominem vi-
ta pariter, ac mors sint, & ad quod vult
manum porrigat; necesse est, ea unus-
quisque hominum in æternitate possideat,
quæ hic quasi manu sua ipse pervaaserit,
voluntatique, ac sententiæ suæ deditus,
his in futuro adhæreat conditione, qui-
bus hic adhæsit affectu.

Sed videlicet immunes se ab hoc pia-
culo quidam putant, qui fortasse aurum,
ac facultates suas in terra non habent,
attamen ubicunque abstrusas habent. Ne-
mo se ridiculis opinionibus fallat. Qui-
cunque augendis opibus terrena cupiditi-
tate famulantur; aurum terræ semper in-
fo-

sodiunt. Hoc est enim illud , quod Salvator in evangelio docet , dicens : *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Et iterum : *Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo.* Intelligi juxta carnalem auditum ista non possunt. Numquid enim aut omnes mali in terra corporales thesauros suos , aut omnes boni in cœlo locant? non utique. Et ideo effectus spiritualium rerum , atque virtutes , vis sacræ locutionis expressit. Scilicet , ut , quia cupiditati , & avaritiæ terrena , atque tartarea ; misericordiæ autem , ac largitati cœlestia , ac sempiterna debentur ; idcirco diversitas terreni , & cœlestis thesauri posita est , ut , qui cupiditati , & avaritiæ thesaurarent , in inferno se opes locare cognoscerent , qui vero misericordiæ , & humanitati ; cœlestes se thesauros præparare gauderent. Loca itaque thesaurorum de meritis thesaurizantium nominavit. Ibi enim dicuntur esse jam thesauri ; ubi sunt thesaurizantes futuri.


Sed austera forsitan videatur esse sententia , cunctos æqualiter ad perfectionem vocans , & una omnes lege compellans : cum utique non sit universorum una conditio. Rectissime quidem dici ad ista poterat , quod , cum omnes perpetuo velint vivere , omnes id agere deberent , ut vitam

participare possint : quia inconsultissimum, ac stultissimum est , id quosdam agere, ut, quod affectu , ac voto volunt ; id ipsum re, atque actu nolle videantur. Sed tamen videamus eam, maxime Christianorum, id est, filiorum tuorum, partem, quæ certis rerum impedimentis , & inexpugnabilibus, ut putat, necessitudinum vinculis a perfectione revocatur. Ac primum in hac parte illi, opinor , sunt, qui ad querendas pecunias , & amplandas latissime opes compelli se pignorum cura, & quasi violento filiorum amore causantur. Quasi vero quicunque Patres sunt , nequaquam aut possint , aut debeat omnino esse nisi dientes , & amare filios suos sine opum multiplicatione non valeant ; aut vero virtus , ac medullæ affectuum avaritia , & cupiditates sint: quia scilicet, ut illi putant, sicut corpus sine medulla, sic amor sine cupiditate esse non possit. Quod si ita est , omnis absque dubio pietas mali causa est ; neque in ea sensus sunt bonorum affectuum , sed incentiva vitiorum. Et ubi illud erit sacrum Divinæ auctoritatis oraculum : *Pietas ad omnia utilis est?*

I. Tim. 4. Hoc enim modo non solum non ad omnia utilis , sed pene in omnibus insalubris. Si enim generatrix cupiditatum est ; plus in se multo malorum continet, quam bonorum,

rum , secundum illud Scripturæ sacræ:
Radix omnium malorum est cupiditas. *t. Tim. 6.*
 Itaque si radix malorum omnium est cu-
 piditas, atque hæc pietatis matrice gignitur,
 & quasi viroso ejusdem lacte nutritur;
 non tam cupiditas reprehendenda , quæ
 ex pietate parente nascitur , quam ipsa
 pietas, ex qua talis filia procreatur. Quo fit,
 ut, si tam pestilens est pietas, ac tam no-
 cens ; nec amare expeditat , nec amari:
 quia nec Parentes amorem debent appe-
 tere sibi noxiū , nec desiderare filii Pa-
 rentibus obscurum. Quamvis ille non
 Parentibus tantum , sed etiam filiis mor-
 bum ferat: quia & illis gravis est, qui per-
 niciosas pariunt hæreditates , & illis , qui
 inter improbissimum quæstum improbi
 educantur hæredes.

Et hinc est, quod pene omnes Paren-
 tibus suis filii non magis in patrimonia ,
 quam in vitia succedunt , nec magis fa-
 cultates paternas summunt , quam pravi-
 tates ; ac sic transeuntes semper in mores
 Patrum, ante eorum incipiunt nequitiam,
 quam substantiam possidere. Bona enim
 Parentum nonnisi mortuis eis possident ;
 viventibus autem adhuc , & valentibus ,
 mores. Ac sic priusquam in dominio suo
 habere incipient res paternas ; habent in
 animis ipos Patres , & ante, quam ha-



beant illa, quæ falso dicuntur bona, habent illa, quæ vere probantur mala. Quid ergo, cum hæc ita sint, interdicere forsan Parentibus filiorum videor affectum? minime. Quid enim tam ferum, tam inhumanum, tam legi æmulum; quam si non amandos dicamus filios, qui amandos fatemur inimicos? aut si affectum, quem natura præstat prohibeamus; qui etiam eum, quem natura prohibet impendimus? aut si charitatem menti extorqueamus, quam habet; qui etiam illam ei conamur inserere, quam non habet? non ita est. Non solum enim amandos dicimus filios, sed præcipue, ac super omnia amandos, nec quicquam his omnino anteponendum, nisi Deum solum. Nam & hoc est præcipue amare, illum filiis anteponere, quem non expedit omnino postponere. Quid est ergo, aut quomodo amandos dicimus filios? quo? absque dubio, nisi, quo Deus ipse constituit. Neque enim est ullus melior filiorum amor, quam, quem ille docuit, qui ipsos filios dedit. Neq; possunt pignora melius amari, quam si in eo ipso, a quo data sunt, amentur. Quomodo igitur Deus amari filios jusserit, non dico ego. Dicat sermo ipse Divinus, qui ad Patres omnes generaliter ita loquitur, ut *Psal. 77.* tradant mandata Dei filiis suis, *ut ponant in*

in Deo spem suam, & non obliviscantur operum Dei sui, & mandata ejus exquirant. Alibi quoque: *Et vos, inquit, Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & correptione Domini.*

Ephes. 6.

Videtis, quas parari opes a Parentibus filiis Deus jubeat; non pecuniarios thesauros, nec graves metallo aureo saccos, habentes quidem multum ponderis, sed plus tamen iniquitatis; non superbas, ac præminentibus excelsis urbibus domos, non supra humanos visus elata culmina, nec inserta nubibus ærio habitatore fastigia, non denique fundos interminabiles, & notitiam sui possessoris excedentes, qui consortes pati indignum æstiment, & vicinitatem injuriam putent. Non ergo hæc Deus præcipit, nec in servilia terrenæ procreationis officia curam patriæ pietatis extendit. Pauca sunt, quæ mandat, sed salutaria; expedita, sed sancta; præcepto parva, sed fructu grandia; scripto brevia, sed beatitudine sempiterna. *Parentes enim, inquit, nolite ad indignationem provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & correptione Domini.* Ut ponant scilicet, sicut Prophetæ dixit, *ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur operum Dei sui, & man-*

mandata ejus exquirant. En quales divitias Deus diligit, en quas pignoribus recondi exigit opes, en quas parari imperat facultates; fidem scilicet, ac timorem Dei, modestiam, sanctimoniam, disciplinam; non terrena, non vilia, non pereuntia, non caduca. Praeclara utique: cum enim Deus vivorum sit, non mortuorum; recte illa parari filiis jussit, per quæ in æternum viverent, non per quæ in æternitate morerentur. Nemo enim dubitat omnibus ferme malis, & infidelibus divitias mundiales causam mortis magis esse, quam vitæ, secundum illud, quod Deus dicit: *Quam difficile hi, qui pecunias habent, introibunt in regna cœlorum.*

Matt. 9. Et iterum: *Facilius est, inquit, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regna cœlorum.* Unde & illud est, quod specialiter jubet dicens: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra; thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo.* Superioribus, ac sequentibus dictis duo thesaurorum genera monstrantur: unum scilicet, quo filiis thesaurizent Patres, aliud quo sibi. Filiis quomodo? ut erudiant illos officio, ac timore Divino. Sibi quomodo? ut thesaurizent sibi thesauros in cœlo. Mirifice scilicet: ut, quia pecunia caduca est; disciplina immortalis,

&

& omnes fere Parentes plus amant filios, quam seipso; sibi conferant bona caduca, filiis sempiterna, ac sic & pietati suæ consulant, & saluti, cum dupli, atque immortali bono, & per ea, quæ æterna sunt æternos esse filios suos faciant, & ad conquirendam sibi beatitudinem ea, quæ naturaliter caduca sunt, bonis operibus in æterna convertant. Quid ergo æstuas, paterna pietas? quid ad conquirenda terrena, & peritura distenderis? Nihil majus præstare filiis potes, quam, si hoc bonum per te habeant, quod nunquam penitus amittant. Non necesse est ergo, ut filio tuo terrenos thesauros recondas. Nulla re eum facies ditiorem, quam, si ipsum filium tuum thesaurum Dei feceris.

Quamquam hæc, licet se ita habeant, & sint vera, ac saluberrima; tamen non ita dicam, quasi filios bonis, & facultatibus paternis penitus excludam. Sed de hoc Postea disputabimus. Interim quia reos se quidam futuros non putant, si substantias suas non ad evangelii honorem, non ad salutem suam, non ad ullum officium Dei conferant, sed pro libidine, & infidelitate quibuscumque hæredibus passim vel irreligiosis, vel locupletibus impia, & paganica sollicitudine transcribant; videamus breviter, vel a quo sint datæ facul-

tates ipsæ, vel ob quid datæ: ut, cum & auctorem, & causam datæ rei ostenderimus; facilius, & ad quem referenda, & in quem usum conferenda sit, approbare possimus. Omnem substantiam mundalem Divino cunctis munere dari nullus homo, ut reor, ambigit, qui modo in hominum numerum referri potest. Nisi forte quis tantæ sit sapientiæ, ut, cum humano generi mundus ipse a Deo datum sit; ea, quæ in mundo sunt, non a Deo hominibus data arbitretur. Igitur, si omnia omnibus Deus tribuit; nemini dubium est, quod ea, quæ Dei dono acceptimus, ad Dei cultum referre debeamus, & in ejus opere consumere, quæ ejusdem sumptus largitate. Hoc est enim agnoscere munus Dei, & Divinis beneficiis bene uti, ut datis suis illum honores, a quo data ipsa acceperis. Quod quidem etiam humanarum rerum exempla docent. Si enim usus rerum aliquarum cuiquam homini alterius hominis beneficio, ac largitate tribuatur, isque immemor illius, a quo fructum rerum indeptus est, avertere ab eo ipso proprietatem præstitæ rei, atque alienare conetur; nonne ingratissimus omnium, atque infidelissimus judicetur, qui oblitus scilicet hominis benefici, ac liberalissimi, spoliare illum jure dominii sui

sui velit, qui eum ipsum usus possessione ditaverit? Et nos itaque usum tantum earum rerum accepimus, quas tenemus. Commendatis enim a Deo facultatibus utimur, & quasi precarii possessores sumus. Denique egredientes e mundo isto, velimus, nolimus, hic cuncta relinquimus. Cur ergo, cum possessores tantum usufruētuarii simus, quod nobiscum auferre non possumus, avertere a proprietate Domini, atque alienare tentamus? Cur non bona fide datis a Deo resculis utimur? Tenuimus, quoad licuit, tenuimus, quoad permisit ille, qui præsttit. Quid rectius, quid honestius, quam, ut, ubi res ab eo discedit, qui usum habuit; revertatur ad eum possessio, qui utendum concessit? Denique etiam ipsæ hoc Dei voces per linguas literarum sacrarum jubent, dicentes quotidie ad unumquemque nostrum: *Honorā Dominum de tua substantia.* Et alibi: *Redde, inquit, debitum tuum.*

*Poer. 4.**Eccles. 4.*

Quam pius est, & intelligens Dominus Deus noster, invitans nos ad erogandam terrenæ substantiæ facultatem! *Honorā, inquit, Dominum de tua substantia.* Cum totum suum sit, quod ab eo acceperimus; nostrum esse dicit, ut demus: ideo scilicet nostram appellans proprietatem possessionis, ut major sit merces operantis: quia

quia plus fructuum necesse est largitor habeat, ubi de suo videtur esse largitio. Sed tamen, ne hoc ipso humana mens insolesceret, quod substantiam hanc Dominus nostram esse dixisset, adjecit: *Redde debitum tuum.* Hoc est: ut, quem devotio non illiceret ad largiendum, necessitas cogeret ad exolvendum, & quem ad opus sanctum fides sua non retraheret, saltem necessitas coarctaret. Prius ergo ait: *Honora Dominum de tua substantia;* dcinde: *Redde, inquit, debitum tuum.* Hoc est dicere: si devotus es, da quasi tuum; si indevotus, redde quasi non tuum. Bene itaque posuit & dandi voluntatem, & solvendi necessitatem. Hoc est utique dicere omni homini: ad opus sanctum, & hortatione invitaris, & exactione constringeris. Da, si vis; redde, si non vis. Apostolus quoque id ipsum monens, divitiis præcipit, ne superbe sapiant, neque sperent in incerto divitiarum, sed in Deo ^{r. Tim. 6.} vivo, *Qui præstat nobis,* inquit, *omnia ad fruendum in voluntate operum bonorum.* Uno dicto utrumque docuit, hoc est: & qui daret divitias, & cur daret. Dicens enim sperandum a Deo, qui præstat omnia, ostendit a Deo divites fieri; addens autem *in voluntate operum bonorum,* docet id ipsum, quod dixit a Deo tri-

tribui , propter bona tantum opera præstari. *Præstat enim* , inquit , *omnia in voluntate operum bonorum*. Hoc est : ad hoc facit homines substantia esse locupletes , ut bona operatione sint divites ; id est , ut commutent divitias , quas acceperunt , & facultates ipsas in bonis operibus collocantes , Dei opes , quas habent in hoc seculo temporarias ; bene utendo faciant sempiternas , ac sic , agnoscentes munera Dei , duplici bono gaudeant : cum , qui sunt divites in hoc seculo ; esse quoque divites mereantur in cœlo .

Sic ergo habendæ sunt divitiæ , sic pe-
tendæ , sic tenendæ , sic propagandæ ; alioqui
inæstimabile malum est , bonis a Deo datis
non bene uti. *Avaro enim* , inquit Scriptu- Eccles. 17.
ra sacra , *nihil est scelestius* : & pessimum ,
ac feralissimum morbi genus , divitiæ con-
servatæ in malum domini sui . Verum est :
quid enim pejus , aut quid miserior , quam ,
si quis præsentia bona in mala futura con-
vertat , & quæ ad hoc a Deo data sunt ,
ut pararetur ex eis vitæ beatitudo perpe-
tua ; per hæc ipsa quæratur mors , ac da-
mnatio sempiterna ? In quo & illud con-
siderandum est , quod , si servatæ divitiæ
ad malum hominis conservantur ; quanto
utiq; ad majus malum coacervantur ? Quo-
tus enim quisque nunc divitum tantæ est

continentiae, qui opes custodire contentus
accumulare jam nolit? O miseria temporis,
& ecclesiasticae plebis! ad quid redacta est?
ubi, cum scriptum sit, quod servare opes,
genus sit magni criminis; non augere jam
genus putatur esse virtutis. Ergo, ut su-
pra diximus, quomodo se quidam reos
omnino non putant, si nec in morte sibi
met per dispensationem substantiae con-
suluerint; cum etiam ex hoc rei sint, quod
usque ad mortem cuncta servaverint?
aut quomodo rei non erunt, qui facul-
tates suas ad quoscunque homines infide-
lissima vanitate transmiserint; cum etiam
illi rei futuri sint, qui non seipso in vita
ista aliqua ob honorem Dei rerum suarum
parte privaverint? ostendente id ipsum
etiam per Apostolum suum Domino no-
stro, atque dicente: *Agite nunc divites,
plorate in miseriis, quæ advenient vobis;
divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vesti-
menta vestra a tineis comesta sunt, au-
rum, & argentum vestrum æruginavit,
& ærugo eorum in testimonium vobis
erit, & manducabit carnes vestras sicut
ignis. Thesaurizatis in novissimis diebus.*

Præter illam, quæ in mysterio latens
major est multo, ac terribilior, Divinorum
verborum severitatem, sufficere ad me-
tum, ac tremorem omnibus puto illa,
quæ

quæ prompta sunt: ad divites enim peculiariter loquitur. Plangere eos præcipit, mala futura nuntiat, ignem perpetuum comminatur. Et hoc, quo minæ ipsæ magis timendæ sint, non propter homicidia, non propter fornicationes, non ob sacrilegas impietas, aut alia postremo vitia, lethali gladio animas, & perenni occisione jugulantia; sed propter solas tantummodo opes, propter insanam cupiditatem, propter auri, atque argenti famem. Ut ostenderet scilicet, sufficere hæc homini ad æternam damnationem, etiamsi reatus alii non fuissent. Quid dici simplicius, quid evidentius potest? Non dicit diviti: torquendus es: quia homicida es; torquendus es: quia fornicator; sed torquendus tantummodo: quia dives, hoc est, quia divitiis male uteris, quia datas tibi ad opus sanctum divitias non intelligis. Non enim ipsæ divitiæ per se noxiæ, sed mentes male utentium criminosa; nec ipsæ opes homini pœnæ causa sunt, sed de opibus sibi pœnas divites faciunt: quia dum uti divitiis bene nolunt; ipsas sibi divitias in tormenta convertunt. *Thesaurizatis*, inquit, *in novissimis diebus*. Bene, cum dixisset: *Thesaurizatis*, addidit: *In novissimis diebus*. Hoc est: ut major thesaurizantium

reatus esset, cum thesaurorum invidiam etiam seculi extrema cumularent. *Theſaurizatis*, inquit, *in noviſſimis diebus*. Per theſauros cupiditas, per noviſſimos dies infidelitas accusatur. Ac per hoc duplex & cupiditatis noxa est, & infidelitatis. Quia theſauros, quos (juxta id, quod
Exod. 20. Deus dicit: *Non concupiſces*) crimen uti-
Rom. 7. que fuit & alio tempore concupiscere; maius absque dubio per infidelitatem ipsam crimen est, etiam in mundi fine cumulare.

Durum fortasse aliquis sermonem meum haec tenus judicavit? Et vere durus est, si aliquid non ex testimoniorum facrorum auctoritate commonuit. Durus existimetur, si aliquid tale habuit, quale hic Apostolus prædicavit. Ut non addamus illud Domini nostri dictum, quo omnes penitus indignos se esse dixit, qui non renuntiassent omnibus, quæ possederint. Quæ cum ita sint, nonne, quæ ſo, indulgentiſſimum, modeſtissimum, ac molliſſimum existimari convenit, quod locuti ſumus? Scilicet, qui hominibus, quibus perfectam incolumentem tribuere non poſſumus, opem ſaltem desperatæ ſalutis inquirimus; & quorum vitam sanare non poſſumus, mortem levare tentamus. Quid eſt enim perfecta sanitas? quid? niſi in vita hac bene agere. Quid
Eph. 14.

postrema curatio? quid? nisi vel in extre-
mis bonum viaticum comparare. Quid
est enim perfecta sanitas? quid? nisi re-
bus a Deo traditis bene uti. Quod ultimum
remedium? quod? nisi saltem postea face-
re, quod pœnitentia te non ante fecisse.

Dura, fortasse aliquis putat esse, quæ
dico? Dura, plane dura existimentur,
nisi talia sint, ut in comparatione Apo-
stolicæ severitatis mollia, ac remissa vi-
deantur. Apostolus enim ad planctum
divites vocat; nos ad remedium. Apo-
stolus divitias ignem nominat; nos face-
re ex divitiis aquas cupimus ignem extin-
guentes, secundum illud: *Sicut aqua ex-*
tinguit ignem, sic eleemosyna extinguit
peccatum. Apostolus in divitiis male con-
servatis damnationem esse testatur; ego
ex his, quæ dicit ille mortem æternam
omnibus facere, vitam opto perpetuam
comparare. Non quidem, quod ulli vi-
tiis carnalibus implicato sufficere ad vitam
æternam putem, si, cum usque ad mor-
tem in flagitiis consenserit; in obitu be-
ne cuncta dispenset, nisi antea & pecca-
tis renuntiaverit, & sordidam illam crimi-
num tunicam, lutulentamque projecerit,
& novam conversionis, ac sanctimoniac
vestem de manu Apostoli prædicantis ac-
ceperit. Alioqui peccare non desinit,

quem in extremis situm, recedere a criminibus sola tantum facit impossibilitas, non voluntas. Qui enim a malis aetibus tantum morte discedit; non relinquit scelera, sed relinquitur a sceleribus. Ac per hoc necessitate exclusus a vitiis, & tunc, puto, peccat, quando cessaverit: quia, quantum ad animam, necdum desit, qui adhuc velit peccare, si possit.

Non bonis itaque spebus innititur, qui ad hoc tantum peccat in vita, ut peccatorum molem redimat in morte, & ideo se evasurum putat, non quia bonus, sed quia dives sit. Quasi vero Deus non vitam querat hominum, sed pecuniam, atque a cunctis malorum redimendorum spe male agentibus accipere solos pro criminebus nummos velit, & corruptorum judicum more, argentum exigat, ut peccata vendat. Non ita est: prodeesse enim largitionem plurimum certum est; sed non illis, qui ultima futuræ largitionis spe male vivunt, qui fiducia redimendæ immunitatis scelera committunt; sed illis, qui decepti aut lubrico aetatis, aut nubilo erroris, aut vitio ignorantiae, aut postremo lapsu fragilitatis humanæ, resipiscere tandem quasi post mortem gravissimæ infirmitatis, aut quasi post luctum turbatæ mentis incipiunt, & sicut ad sensum

sum suum insani homines post furorem, sic isti redeunt post errorem; in uno tantummodo a se dispare: quod illi gaudent, postquam evaserint ægritudinem; isti plangunt, postquam acceperint sanitatem. Nec immerito: illi enim tanto plus gratulan-
tur, quanto plus incolmitatis indeptos esse se sentiunt; isti tanto plus confundun-
tur, quanto evidentius morbum sui erro-
ris agnoscunt. Quo fiat, necesse est, ut
illi exultent, & isti lugeant: quia illi,
quod ægrotarunt, imputant valetudini;
isti, quod erraverunt, sibi; ac sic illi læti-
sunt de remedio, & isti anxii de reatu.

Unde admoneo cum omnes, tum
præcipue eos, quos gravium delictorum
terror exagit, & in quibus infelior
conscientia peccatorum pœnalium recor-
datione suspirat, primum, ut, licet lapsi
sint, non commorentur in lapsu, nec in
volutabris suis sordentium suum more ver-
sentur; qui, cum æstuantes alvos coeno
immerserint, nequaquam sordidis volupta-
tibus satisfaciunt, nisi tota penitus luto
membra convolvant. Non ergo horum
naturalem sequantur illuviem, nec male
blandis lapsibus acquiescant, aut in bara-
thro libidinum commorantes, in ipsis se
sepeliant ruinis suis. Sed illico ubi con-
cidere, consurgant, & elevationem proti-

nus meditentur in lapsu; ac, si fieri ullo modo perniciitate pœnitudinis potest, tam velox sit remedium resurgentis, ut vix possit vestigium apparere collapsi. Ergo in hujusmodi causis hoc primum medelæ opus est, ut morbos suos languentes horreant, curare plagas festinent saucii, & illico e corporibus sagittas rapiant vulnerati. Optime enim malagma, vel fibula calidis adhuc vulneribus imponitur; & citius sibi plagarum caro sociatur, quæ non diu hiare permittitur. Ulcus quippe in corpore, si computruerit; dilatatur, &, si plagas cancroma sequitur; cancrum, necesse est, consequatur occasus. Fugienda itaque primum hæc peccatoribus mala sunt, nec dandus diabolo locus, ut, qui stantes impulit in ruinam; lapsos præcipitet in mortem.

Quod si aut tanta vis morbi, aut tanta ægrotorum fuerit incuria, ut valedudinis labem usque ad dies ultimos trahat; quid dicam, nescio, quid promittam, penitus ignoro. Revocare ab inquisitione ultimi remedii periclitantes, durum, & impium; spondere autem aliquid in tam sera curatione, temerarium. Sed melius tamen est absque dubio, quamvis diuturna paralysi aridas manus aliquo tandem nisu ad cœlum erigi, quam lethalj

pe-

penitus desperatione dissolvi. Melius est nihil inexpertum relinquere , quam morientem nulla curare ; maxime : quia, nescio , an in extremis aliquid tentare , medicina sit ; certe nihil tentare , perditio . Et unum scio , quod , quicunque in hanc miseriam longi languoris extrema perduxerit ; ineffabile dictu est , quantum lamentationis erroribus suis debeat , qui nunquam errata cognovit . Et quid inter hæc fiet ? Quando lugebit , qui dies lugendi perdidit ? Quando satisfaciet , qui tempus satisfactionis amisit ? Ad jejunia videlicet longa confugiet ? est quidem hoc aliquid , si eleemosynis misceatur , secundum illud : *Bonum est jejinium cum eleemosyna* ; Tob. 12. sed quomodo ei exomolgesis diurna opitulabitur in extremis sito ? Sed cilicio carnes conteret , ac favilla , & cinere sordidabit ; ut mollitem videlicet præteritæ voluptatis præsentium asperitatum dura compensent , & reatum longarum deliciarum officio patrocinantis solvat injuriæ ? sed quando hæc tam grandia faciet , vicino jam exitu etiam a mediocreum actione disclusus ? Crucibus denique diversarum ærumnarum reum in suo corpore hominem judex fidei severitas subjugalit , ut indulgentiam scilicet absolutionis æternæ , præsentis poenæ am-

bitione mereatur? sed fatiscente jam corpore, ubi exercebit distinctionis officium censor animus? Uti enim severitatis arbitrio judex non potest, quando reus jam non sustinet judicari. Unum ergo est, quod amissis omnibus adjumentis, atque subsidiis nutanti, ac destituto opitulari queat: ut confugiat scilicet ad illud Beatisimi Danielis sacrum, ac salubre consilium, qui Babylonio Regi mederi volens, ulceribus de offensione contractis malagma de miseratione composuit dicens: *Propter quod, Rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua in misericordiis redime, & injusticias tuas in miseratione pauperum. Fortasse erit patiens Dominus delictis tuis.* Ita ergo & iste faciat, ut ille dixit. Utatur medicamento alii oblato ad sua vulnera, vereatur contumaciæ inobedientis exemplum, cogitet, quid ipse sit passurus in morte, cum videat, quid Rex Assyrius pertulerit in vita.

Evidens est de superbia, ac rebellione documentum. Consideret, an ipse, si non audierit, mortuus evasurus sit, cum videat, quod Rex ille, qui non audivit; se ipsum vivus amisit. Offerat ergo vel moriens ad liberandam de perennibus pœnis animam suam, quia aliud jam non potest, saltem substantiam suam; sed offerat

rat tamen cum compunctione, cum lachrymis; offerat cum dolore, cum luctu. Aliter quippe oblata non profundit: quia non pretio, sed affectu placent. Nec enim animus dantis, datis; sed animo commendantur, data: nec pecunia fidem insinuat, sed pecuniam fides. Ac per hoc, qui prodeste sibi vult, quæ Deo offert, hoc modo offerat. Neque enim homo Deo præstat beneficium in his, quæ derit, sed Deus in his homini, quæ acceperit: quia etiam, quod homo habet, Dei, ac Domini sui munus est. Ac per hoc in his, quæ offeruntur ab homine, homo non suum reddit, Dominus suum recipit. Itaque cum offert Deo quispam facultates suas, non offerat, quasi præsumptione donantis, sed quasi humilitate solventis; nec absolvere se peccata sua credat, sed allevare; nec offerat cum redemptionis fiducia, sed cum placationis officio; nec quasi totum debitum reddens, sed quasi vel parvum de magno reddere cupiens: quia etiamsi tradat, quod habet pro modo rerum; non reddit, quod debet pro magnitudine peccatorum. Et ideo, licet offerat; oret Deum, ut sua placeat oblatio, plangens id ipsum, quod tarde offert, plangens, ac pœnitens, quod non

non prius ; sicque erit , ut, juxta Prophetam, propitietur forsitan Deus delictis suis.

Sed dicit aliquis : totum ergo Deo oblaturus est , quod habet ? Non offerat totum , quod habet , si non putat se debere totum , quod habet . Non quæro , cujus sit , quod offertur , vel a quo sit acceptum ante , quod redditur ; hoc dico solum , non offerat totum pro debito , si debere se totum , non putat pro reatu . Totum ergo , inquit , peccator aliquis oblaturus est ? Immo nihil , si non cum fide ; immo nihil , si non cum ambitu ; immo nihil , si non cum prece ; immo nihil , si non hoc animo , ut hoc ipsum inter præcipua Dei beneficia reputet , quod animum offerendi dedit , & plus sibi in his , quæ Deo relinquunt præstari æstimet , quam in illis , quæ prius habuit . Quia hoc , quod habetur ab homine , temporarium est ; quod autem Deo relinquitur , sempiternum . Totum , inquit aliquis , oblaturus est ? At ego dico , esse hoc totum parum . Quid enim jam scit aliquis , an peccatorum mensuram oblata compensent ? jam scit aliquis , an tantum sit in officio placationis , quantum est in offensione discriminis ? Si novit quisquam hominum peccatorum , quanto redimere delicta possit ; utatur sci-

scientia ad redemptionem. Si vero ne-
scit, cur non tantum offerat, quantum
potest? ut, si compensare peccata non
valet pretii magnitudine; saltem mentis
devotione compenset. Perfectum enim
conscientiae fructum exhibet, qui intra
conscientiam nil relinquit.

Dura nonnulli hæc absque dubio, &
immensurata causantur; maxime: quia Pro-
pheta is, de quo diximus, Babylonium
Regem hoc tantum admonuisse videatur,
ut multa donaret, non, ut universa di-
straheret. Non profero interim testimo-
nia evangelii, nec confugio ad vocem lo-
quentis Dei in sacris voluminibus. Non
dico aliud vetere, aliud nova lege præ-
ceptum. Unde etiam Apostolus: *Ecce*, ^{2. Cor. 5.}
inquit, *vetera transferunt, facta sunt o-*
mnia nova; omnia autem ex Deo. Qui-
bus utique dictis docet, non vetera secun-
dum literam, sed nova secundum Deum
esse facienda. Hoc solo interim conten-
tus sum, quod Propheta dixit. Sermo
enim ei cum Rege erat, & quidem cum
Rege non unius urbis, sed, ut tunc vi-
debatur, totius orbis. Quia itaque non
poterat populos, quos regebat, per testa-
mentum egenis tradere, & nationes bar-
baras indigentibus, quasi nummos, dare,
aut in pauperum stipes diffusa longe, ac

late regna convertere ; & ideo Propheta,
Peccata, inquit, *tua in misericordiis redime*. Hoc est: aurum da indigentibus: quia non potes regnum dare; facultates distribue: quia potestatem non vales prorogare. Ac per hoc videtur jussisse, ut totum daret, quem hoc solum non jussit distribuere, quod non poterat erogare.

Exaggeramus forte rem verbis, & alte nimis attollimus? Videamus ergo id ipsum quale sit. *Peccata*, inquit, *tua in misericordiis redime*. Quid est aliqua redimere? opinor, pretium rerum, quæ redimuntur, dare. Non quæro, quæ illius Regis peccata fuerint; ipse sciat, quanti debuerit redimere, quæ fecit: te alioquor, cuius causa est, te appello, cuius discrimin agitur: hoc facito, quod Propheta dixit: *Peccata tua in misericordiis redime*. Noli tantum Deo relinquere, quantum habes, si pro peccatis tuis necessarium non putas, quantum habes. Æstima diligentissime culpas, quas admissisti, æstima peccatorum diversitates. Vide, quid pro mendaciis debeas, quid pro maledictis, atque perjuriis, quid pro negligentiis cogitationum, quid pro impuritate sermonum, quid pro omni denique malæ voluntatis affectu. Adde postremo etiam, si aliqua de his intra consci-

scientia ad redemptionem. Si vero ne-
scit, cur non tantum offerat, quantum
potest? ut, si compensare peccata non
valet pretii magnitudine; saltem mentis
devotione compenset. Perfectum enim
conscientiae fructum exhibet, qui intra
conscientiam nil relinquit.

Dura nonnulli hæc absque dubio, &
immensurata causantur; maxime: quia Pro-
pheta is, de quo diximus, Babylonium
Regem hoc tantum admonuisse videatur,
ut multa donaret, non, ut universa di-
straheret. Non profero interim testimo-
nia evangelii, nec confugio ad vocem lo-
quentis Dei in sacris voluminibus. Non
dico aliud vetere, aliud nova lege præ-
ceptum. Unde etiam Apostolus: *Ecce*, ^{2. Cor. 5.}
inquit, *vetera transferunt, facta sunt o-*
mnia nova; omnia autem ex Deo. Qui-
bus utique dictis docet, non vetera secun-
dum literam, sed nova secundum Deum
esse facienda. Hoc solo interim conten-
tus sum, quod Propheta dixit. Sermo
enim ei cum Rege erat, & quidem cum
Rege non unius urbis, sed, ut tunc vi-
debatur, totius orbis. Quia itaque non
poterat populos, quos regebat, per testa-
mentum egenis tradere, & nationes bar-
baras indigentibus, quasi nummos, dare,
aut in pauperum stipes diffusa longe, ac

demptionem criminum vocat ; per hæc ipsa , quæ dicit debere fieri , non tam ei veniæ securitatem , quam viam inquirendæ salutis ostendit. Dicens enim : *Pecata tua in misericordiis redime , forsitan propitiabitur Deus delictis tuis* ; hoc ipsum , quod dicit *forsitan* , spem indicat , non fiduciam pollicetur. Ex quo intelligi potest , quam difficile jam in supremis positi peccatores qualibet munificentia ad perfectam indulgentiam pervenire possint ; quando Propheta ipse , qui suadet propitiationem Dei inquirendam , promittere tamen non ausus est promerendam. Dat consilium de aetu , & tamen dubitat de effetu : hortatorem se agendi , non impetrandi auctorem facit. Quare ita ? quia omnes scilicet peccatores debent pro se vel in supremis cuncta tentare , et si non possunt ulla præsumere. Si enim Regi Propheta ille per solam bonorum operum largitatem absolutam indulgentiam non promittit ; intelligere peccator non acta errorum pœnitentia potest , quanta ei , & quam larga in supremis munificentia opus est , qui vult obtinere a Domino per seram devotionem , quod non potest usurpare per legem.

FINIT LIBER PRIMUS.

IN.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

DIximus de remediiis peccatorum, immo potius de spebus remediorum, atque solatiis; scilicet hoc primum inquirendæ salutis esse suffragium, ut peccatorem pœnitentia erroris, tum, ut juxta sermonem sacrum statim peccata sua misericordiis redimat, postremo, si id non fecerit, ne quid saltem moriens inexpertum relinquat, vel ultima sibi rerum suarum oblatione succurrat. Sed respondeatur fortasse hoc loco illud: si peccatores homines hac redimendorum criminum necessitate teneantur; sanctos absque dubio, qui sint expertes criminum, non teneri, ac per hoc non habere eos causam substantiæ largiendæ, qui non habent, quod redimere eos necesse sit largitate. Audio; sed id quale sit, jam videbimus. Interim, etiamsi præterita mala non sint, quæ sanctum hominem oporteat rebus cunctis redimere; sunt tamen perennia bona, quæ magno debeat comparare. Sed de hoc plenius postea. Nunc autem hoc dico libere, & constanter affirmo, neminem esse omnino sanctorum, qui non in multis sit Deo debitor, ac per hoc eum, quæcunque Domino suo dederit, non tam donare, quam solvere.

Ac primum, ut de beneficiis generalibus dicam, id est, quod quisquis vel sanctorum es ille, vel dixit, primum benevolentia, ac dono Dei & natus, & alitus, & educatus es, quod rebus ad vitam necessariis communis, quod etiam non necessariis locupletatus; quod plus ad usum tibi Dominus Deus tuus tribuit, quam modus usum postulavit, quod extendit denique super spes tuas munera sua, &, quod est maximum, ac rarissimum, dona illius, etiam tua vota vicerunt. Ad do autem post ista omnia, quod idem Dominus, qui te primum munere suo genuit, postea etiam passione salvavit, quod propter te, ô homo! terram, ac lutum, immo exiguum terræ, ac luti partem suscepit rerum universarum Dominus, terras addiit, ex carne pariter, & in carne processit, humiliatus usque ad humani exordii pudorem, & pannorum illuviam, & præsepii vilitatem, tolerans indignas se vitae istius passiones, edendi, bibendi, somni, vigiliarum ægras vicissitudines, & caducæ istius conversationis contumeliosas necessitates, ipsam denique hominum circa se conversantium fœtidam commorationem, populos peccatorum sor dentium luto oblitos, semper malæ conscientiæ admissu reos, turpium ex se actu-

actuum nidorem exhalantes, & ideo cœlestium præceptorum incapaces, nec sustinentes sacri fulgoris jubar, quia caligantes peccatis oculos splendor Divini luminis obruebat. Nec solum hoc; sed post hæc omnia adde protervas superbitentis populi contradictiones, adde convitia, adde maledicta, impiam insectationem, testimonium falsum, judicium cruentum, irrisiones populi, sputa, verbera, acerbissimas quidem pœnas, sed indignitates pœnis acerbiores, coronam spineam, aceti poculum, cibum fellis, damnatum ab hominibus Dominum universorum, pendentem in patibulo salutem humani generis, Deum terrenæ conditionis lege morientem. Quæ cum ita sint, quicunque ille aut sanctus es, aut sanctum te esse credis, dic mihi, quæso, numquid solvi hæc sola possunt, etiamsi nulla alia debeantur? Quidquid libet enim, homo pro Deo perferat; solvi omnino non potest, quod Deus pro homine perpessus est. Quia etiamsi passio ipsa non differat genere pœnarum; multum tamen distet, necesse est, diversitate patientum.

Sed forsitan dicas, generale in his, quæ diximus, omnium hominum esse debitum, & in hoc universorum hominum genus indiscrete obnoxium. Verum est:

sed numquid aliquis ideo minus debet, si,
 & aliis idem debeat? Aut, si centum
 hominum cautiones de centenis sestertiis
 scriptæ sint; num idcirco allevatur unius
 debitum, si omnes sint ejusdem numeri
 debitores? *Unusquisque enim*, inquit A-
 postolus, *suum onus portabit*, & unus-
 quisque pro se rationem reddet. Nequa-
 quam ergo unius pondus pondere alleva-
 tur alterius, nec absolvitur reus societate
 multorum. Neque ideo minus est cuili-
 bet tetra damnatio, si multos complices
 poenæ videatur habere damnatus. Ita
 hoc, quod supra dixi, licet generale sit
 debitum; speciale tamen esse, non dubium
 est: licet sit commune omnium, est ta-
 men peculiariter singulorum: ita ad omnes
 æqualiter pervenit, quod tamen de sum-
 ma unicuiq; nil recedit. Christus enim sicut
 pro omnibus passus est, sic pro singulis,
 & cunctis se impendit pariter & singulis,
 & totum se dedit universis, & totum sin-
 gulis. Ac per hoc quidquid passione sua
 Salvator præsttit, sicut totum ei debent
 universi; sic totum singuli, nisi, quod
 prope hoc plus singuli, quam universi;
 quod tantum acceperunt singuli, quan-
 tum universi. Ubi enim hoc unus acci-
 pit, quod universi; etsi par est mensura,
 major est invidia. Quo fit, ut, licet ipsum

ac-

accipiat ; plus debere videatur : quia magis fit unus obnoxius , qui videtur omnibus comparatus . Hæc ergo hactenus : quia debitores Deo quidam sanctorum esse se non putant , cum debitum æstimare non possint .

Sed dicit fortasse aliquis , non quidem debitores non esse sanctos ; sed multo tamen majora hominum secularium esse debita , quorum sunt plura peccata . Quod tale est , ac , si quispiam dicat : Ideo ego sum innocens , quia alius magis est nocens , ideo ego justus , quia alter injustus ; ideo ego apprime bonus , quia alius singulariter malus . Jam primum enim indecorum hoc sanctæ menti est , ut bona sua crescere malis arbitretur alienis , & meliorem se esse æstimet comparatione pejorum . Infelicissimum enim consolacionis genus est , de miseriis hominum peccatorum capere solatia : cum Apostolus Rom. 12. gaudere nos cum gaudentibus jubeat , & flere cum flentibus , & non , quæ sua sunt singulos cogitare , sed ea , quæ aliorum . Sed esto , istiusmodi comparatio justa atque honesta videatur ; numquid etiam fida existimari potest ? Quis enim de illo tanto , ac tam terribili futuro Dei judicio satis certus est ? Aut quis dicere potest : Ego minus debeo , ille plus debet .

Quis postremo de se præsumere, aut de
Rem. 14. alio desperare? Omnes enim, inquit Apo-
stolus, stabimus ante tribunal Christi,
& unusquisque onus suum portabit.

Gal. 6. *Nihil ergo, inquit aliquis, inter san-*
ctos, & peccatores est? multum plane,
& pene immensurabile. Sed quia Scri-
Prov. 33. ptura dicit: Beatus homo, qui semper est
pavidus, & nunquam est de salute pro-
pria mens secura sapientis: licet multum
inter sanctos, & peccatores sit; quæro ta-
men ab omnibus religionem professis, quis
sibi juxta suam conscientiam satis sanctus
est? quis de illa futuri examinis tremen-
da severitate non trepidus? quis de perpe-
tua incolumitate securus? Quod si utique
non est, sicuti neque esse debet; dicat
mihi, obsecro, quilibet hominum, cur
non totis substantiæ suæ viribus ad id ni-
titur, ut vel mortis devotione redimat,
quicquid vitæ offensione contraxit? Quan-
quam hæc, quæ loquor, scire omnes le-
gentes volo, non me de omnibus sanctis,
sed de his tantum loqui, qui, licet reli-
gionem professi sint; tamen divitias non
relinquent. De illis enim, qui expediti
omnibus sarcinis, Salvatoris viam sequun-
tur, & Dominum Jesum Christum non
sanctitate tantum, sed etiam paupertate
imitantur, nihil est, quod dici possit, nisi

illud tantum, quod etiam Propheta dixit: *Mibi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus.* Hos enim ego omnes non aliter, quam imitatores Christi honoro, non aliter, quam Christi imagines colo, non aliter, quam Christi membra suspicio, & ad hoc tantum illorum memini, ut eorum memoria dignus fiam.

Sed injuriosa forsitan illa, quæ supra diximus, religiosæ professioni esse videantur? Quid enim, inquit aliquis, si vidua sit dives; & viduitatem tamen in magna opum copia non relinquens? quid si virgo integritatem professa, & impoluti corporis sanctitate devota? quid si coniugium sine opere conjugali, negans seipsum sibi, & habens se, quasi non habens? quid, si monachus ab incunabulis Deo militans? quid, si clericus sacri ministerii servitutem fideli servitute consummans? numquid etiam ii æternæ salutis fructu periclitantur, si aut viventes opes integras habeant, aut morientes indigentibus non relinquant? Parva est ad promulgandam de hujuscemodi quæstione sententiam sermo, atque auctoritas mea. Videamus ergo, quid de his omnibus voluminum linguae, ac præceptorum cœlestium voices sonent; & tunc rectissime, secundum datam a Deo normam, opinionis no-

stræ regulam dirigemus. Ac primum non est, quod confugiendum sibi nunc quisquam putet ad veterum exemplorum esse solatia, ut dicat, aliquos fortasse sanctos, aut in lege, aut ante legem divites fuisse. Abiit quippe illud tempus, mutata ratio est: ante legem enim liberum omnibus erat vel habendæ, vel etiam consecrandæ facultatis arbitrium: quia scilicet adhuc tunc virga interdictorum cœlestium non castigabatur. *Ubi enim*, inquit Apostolus, *non est lex, nec prævaricatio*. Lex ergo fecit aliquid non licere, secundum illud: *Nam concupiscentiam*, inquit Apostolus, *nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces*. Et ideo opes, quas ante legem Deus non reprehenderat, homo libere possidebat. In lege quoque nihilo minus prope idem juris omnibus suppeditabat: quia lex hominem, dummodo juste haberet, quod vellet, penitus non vetabat. Itaque tunc omnes omnino sancti cunctis facultatibus suis juxta præscriptos legis terminos utebantur: *Ambulantes, ut legimus, in omnibus mandatis, & justificationibus Dei sine querela*. Sicut utique illi ipsi ambulaverunt, de quibus ista memorantur. Sicut Prophetes Anna in jejuniis, atque orationibus vivens: sicut Nathanaël ille, quem legimus, veri Israeli-

litæ laude sublimis, & ipso Domino, ac Deo teste, mirabilis: sicut Tobias, magnanimitate devotionis præcepta legis exceedens, sepulturis hominum mortuorum etiam cum mortis periculo serviebat, & indigentibus usque ad indigentiam suam consulens, in tantum largitatis affectum venerat; ut mercenario suo partem bonorum omnium deputaret; & hoc, quo magis possit mirum esse, jam dives; &, quo mirabilius, dives ex paupere: quia majorem ferme excitant habendi cupiditatem opes post indigentiam. Tales ergo tunc sancti erant, secundum legem omnia habentes; secundum Evangelium omnia relinquentes. Ac sic perfectus fuit omnis, qui legi paruit, & tam devotus, qui sub lege tunc minus fecit, quam nunc in Evangelio, qui plus facit. Tunc enim quasi Evangelium lex fuit. Quo fit, quod, qui se obtemperantem tunc legi præbuit, quasi Evangelium complevit.

Non est ergo, quod configiendum sibi nunc quispiam ad legem putet. *Ve-*
terea enim, ut ait Apostolus, *transferunt,*
facta sunt omnia nova. Plus tunc indulgentiæ erat, & plus licentiæ. Tunc eſus carnium prædicabatur, nunc abstinentia: tunc in omni vita jejuniorum paucissimi dies, nunc quasi unum jejinium vita

2. Cor. 5.

omnis: tunc læsis ultio suppetebat, nunc patientia: tunc irascentibus lex ministra erat, nunc adversaria: tunc accusatori gladium porrigebat, nunc charitatem: tunc etiam carnali illecebriæ lex indulgebat, nunc Evangelium nec aspectui: tunc corporeæ voluptates habebant quandam licentiam, nunc jubentur etiam oculi custodire censuram: tunc ad multas uxores recipiendas unius mariti thorum lex dilatabat, nunc etiam ad unam excludendam casti affectus devotione constringit.

r. Cor. 7. *Supereft enim*, inquit Apostolus, *ut* &, *qui habent uxores, ita fint, ac, si non habent, &, qui flent, tanquam non flentes, &, qui gaudent, tanquam non gaudentes, &, qui emunt, tanquam non possidentes, &, qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi.* Videte, quam breviter missus a Deo Doctor cuncta moderatus sit, & intra quam perfectionem universa concluserit, non illicita solum intercidendo; sed etiam licita coarctando, circumcidens scilicet & usum conjugiorum, & infidelitatem fletuum, & intemperantiam gaudiorum & habendi libidinem, & emendi cupiditatem, & ipsam denique mundi hujus brevem, atque umbratilem voluptatem. *Et hæc omnia cur? cur utique?*

nisi,

nisi, ut ipse dixit: *Quia præterit figura bujus mundi.*

Quam longe sunt ergo a mandato Dei, quos cum ipsos jusserrit Deus viventes opibus renuntiare; illi eas cupiunt etiam in cognatis suis mortui possidere. Aut, quam longe ab ea devotione sunt, ut ex-hæredent se ipsos propter Deum; qui ex-hæredare nolunt saltem extraneos propter se. Quibus libenter libere dicerem: Quæ insania est, & ô miserrimi! ut hæredes alios quoscunque faciatis; vos ipsos vero exhæredatis? ut alios relinquatis vel brevi divites; vos ipsos æterna mendicitate damnatis? Sed querit fortasse aliquis, quid sit istud, quod nunc plus exigat Deus a Christianis per Evangelium, quam a Judæis ante per legem? Aperta istius rei ratio est. Ideo enim majora nunc Domino nostro solvimus, quia majora debemus. Judæi quippe habebant quondam umbram rerum; nos veritatem: Judæi fuerunt servi; nos adoptivi: Judæi acceperunt jugum; nos libertatem: Judæi maledicta; nos gratiam: Judæi literam interficientem; nos spiritum vivificantem: Judæis servus magister missus; nobis filius: Judæi per mare transferunt ad erenum; nos per baptisma introimus in regnum: Judæi manna manducaverunt; nos Christum:

stum: Judæi carnes avium; nos corpus
Dei: Judæi pruinam cœli, nos Deum
philip. 2. cœli: *Qui cum*, ut Apostolus ait, *in forma Dei esset*; *humiliavit semetipsum usque ad mortem*, *mortem autem crucis*. Non contentus scilicet simplicem pro nobis subire mortem, nisi ipsam voluntariæ necis susceptionem summorum suppliciorum perpeſſione cumulasset. Pro hoc ergo solo, quid solvere homo poterit, cui ſe per ultimam pœnarum acerbitatem Christus impendit? Aut quid pro ſe dignum Domino repensabit; qui ipsum Deo, a quo redemptus est, Deum debet? Hæc ergo cauſa eſt, qua devotiores eſſe nos Dominus ſibi velit: quia tam magno devotionem nostram pretio comparavit. Et *Rom. 8.* ideo ait Beatissimus Paulus: *Quis ergo*, inquit, *nos separabit a charitate Christi?* *tribulatio*, *an angustia*, *an persecutio*, *an fames*, *an nuditas*, *an periculum*, *an gladius?* Non Apostolus ſolam pecuniam, nec ſolas deberi a nobis dixitias Deo dicit; ſed tribulationem, angustiam, famem, gladium, paſſionem, effuſionem ſanguinis, animæ exhalationem, mortem denique omni pœnarum genere conditam.

Unde intelligent omnes religiosi, non ſatis ſe Deo reddere, etiamſi universas de- derint facultates: quia licet ſua cuncta

di-

dispensent; ipsos se tamen debent. Et ideo, sicut supra dicere cœperamus, si vidua est quæpiam; nequaquam sibi sufficere ad æternam salutem nomen viduitatis putet, sed videat, qualem esse in Apostolo viduam Deus jubeat, dicens: *Quæ vere vidua est; desolata sperat in Domino, instat orationibus nocte, ac die. Nam, quæ in delitiis agit; vivens mortua est.* Uno, eodemque præcepto duas Apostolus formas viduitatis expressit: unam vitæ, alteram mortis, cum in delitiis mortem posuit. Ergo absque dubio divitem esse non vult, quam delitiosam esse non patitur: quia omnis fructus divitiarum in usu est positus delitiarum, alioqui remoto usu delitiarum, causæ opum non relinquuntur. Cum itaque Apostolus in delitiis viduæ mortem esse memoravit; promptum est, quod ad vitæ æternæ fructum vult universa distribui, qui non vult ad mortis usum aliqua reservari. Et ideo dicit: *Quæ vere vidua est; desolata sperat in Domino.* Docens scilicet parum esse, si non sit vidua delitiosa, non dives; nisi fuerit Deo adhærens, nisi orationi dedita, nisi a cunctis mundi illecebris desolata, & per hæc omnia vere vidua.

Quod, si ita est; quæcunque se vitæ cupit esse, non mortis, nequaquam suffi-

cere sibi æstimet, si & delitias sibi ob Deum, & divitias abnegarit; nisi & oratione, & labore id promeruerit, ut vere vidua Dei esse videatur. Quia non est dubium, quod, quemadmodum quis in hoc seculo Christo adhæserit; ita in Christi corpore permanebit, secundum illud: *Ad-*

Psal. 6. hæsit anima mea post te, me autem suscepit dextera tua. Quo declaratur, quod eam tantum animam, quæ Deo adhæserit in hoc seculo; dextera Dei suscipiet in futuro. Hæc ergo viduitatis est regula. Nam de conjugibus continentiam professis, & spiritu Dei plenis, dubitare quis debeat, quin sua hæredibus mundanis servire nolint, qui se ipsos mundo eliminaverint? Quomodo enim ad se pertinentia aliis addicant, qui ipsos se sibi dengant? Tam nova enim virtute prædicti, concessasque, &, quod majus est, expertas corporum voluptates admirabilis continentiae austерitate calcantes, quemadmodum aliquid rerum suarum non Deo voveant, qui ipsum intra se Deum esse fecerunt? ut meo quidem judicio etiam de tali conjugio rectissime dici possit:

V. 14. Lætare sterilis, quod non paris, erumpere, & exclama, quod non parturis: quia multi filii desertæ magis, quam ejus, quæ habet virum. Et sterile namque est, quod

quod non parit, & desertum, quod ab omnibus se mundi illecebris separavit, & sine viro, quod sine viri usu ita virum habet, ut non habere videatur. Hos ergo conjuges tales, quis dubitet, & dum vivunt, sicut in se, ita etiam in suis substantiis Deo vivere, &, cum e vita exeunt; cum sua ad Deum, cui vixerint, facultate migrare? Aliter enim quilibet horum, si res suas seculo dederit, atque ipsi seculo derelinquit; frustra sibi nomen religionis inscripsit, eique videtur semper vixisse, cui moritur. De conjugibus itaque ista sufficiunt.

Transeamus ad sacras virgines, qui-
bus legem devotionis Salvator ipse præ-
scripsit; exemplo scilicet decem virgi-
num, ex quibus fatuarum numerum puel-
larum ideo tantummodo dicit pœnis pe-
rennibus dandum, quia scit ei opus mi-
sericordiæ defuturum. Quo dicto evi-
dentissime docuit, quanti pretii judicarit
largam misericordiam; sine qua dixit, nec
integritatem quidem ipsam virginis profu-
turam. Sed blandiuntur sibi fortasse quæ-
dam, & sufficere sibi æstimant, si, cum
multa, ac magna in facultatibus habeant,
saltem exigua largiantur? Nec ego ab-
nuo, ut, si ita ratio est, ita esse creda-
tur. Parum detur, si parum dedisse suffi-
cit.

Matt. 25.

cit; sed ego sufficere parum nescio, immo parum non sufficere certo scio: si aliter ipsæ sciunt; apud se ipsas sciant. Ego unum scio, quod Deus dicit, extintas fatuarum virginum lampadas, operum bonorum olcum non habentes. Sed tu, quæcunque es, habere te oleum abunde putas? Et illæ profecto, de quibus dixi, stultæ virgines sic putabant. Nisi enim habere se credidissent; providissent, ut haberent. Nam cum postea, ut ait Dominus, mutuari velint, & omni studio, atque ambitione perquirant; absque dubio etiam ante quæsissent, nisi eas habendi fiducia decepisset. Et tu itaque, quæcunque virgo es, vide, ne sic non habeas, licet habere te credas. Ejusdem enim nominis, cuius illæ, ejusdem professionis es. Tu virgo es; & illæ virgines erant: tu præsumis te esse sapientem; & illæ se esse fatuas non putabant: tu lumen habere lampadem tuam judicas; & illæ profecto lumen præsumptione futuri luminis perdiderunt. Nam, & ideo scribuntur aptasse lampades suas, quia illuminandas esse credebant. Et quid plura? etiam emicuisse in eis quiddam luminis puto. Cum enim ipsæ, ut legimus, extinguendas forte lampadas suas reformidarent; habebant profecto aliquid, quod

quod non parit, & desertum, quod ab omnibus se mundi illecebris separavit, & sine viro, quod sine viri usu ita virum habet, ut non habere videatur. Hos ergo conjuges tales, quis dubitet, & dum vivunt, sicut in se, ita etiam in suis substantiis Deo vivere, &, cum e vita exeunt; cum sua ad Deum, cui vixerint, facultate migrare? Aliter enim quilibet horum, si res suas seculo dederit, atque ipsi seculo derelinquit; frustra sibi nomen religionis inscripsit, eique videtur semper vixisse, cui moritur. De conjugibus itaque ista sufficiunt.

Transeamus ad sacras virgines, qui-
bus legem devotionis Salvator ipse præ-
scripsit; exemplo scilicet decem virgi-
num, ex quibus fatuarum numerum puel-
larum ideo tantummodo dicit pœnis pe-
rennibus dandum, quia scit ei opus mi-
sericordiæ defuturum. Quo dicto evi-
dentissime docuit, quanti pretii judicarit
largam misericordiam; sine qua dixit, nec
integritatem quidem ipsam virginis profu-
turam. Sed blandiuntur sibi fortasse quæ-
dam, & sufficere sibi æstiment, si, cum
multa, ac magna in facultatibus habeant,
saltem exigua largiantur? Nec ego ab-
nuo, ut, si ita ratio est, ita esse creda-
tur. Parum detur, si parum dedisse suffi-
cit.

Matt. 25.

cit; sed ego sufficere parum nescio, immo parum non sufficere certo scio: si aliter ipsæ sciunt; apud se ipsas sciant. Ego unum scio, quod Deus dicit, extintas fatuarum virginum lampadas, operum bonorum oleum non habentes. Sed tu, quæcunque es, habere te oleum abunde putas? Et illæ profecto, de quibus dixi, stultæ virgines sic putabant. Nisi enim habere se credidissent; providissent, ut haberent. Nam cum postea, ut ait Dominus, mutuari velint, & omni studio, atque ambitione perquirant; absque dubio etiam ante quæsissent, nisi eas habendi fiducia decepisset. Et tu itaque, quæcunque virgo es, vide, ne sic non habeas, licet habere te credas. Ejusdem enim nominis, cuius illæ, ejusdem professionis es. Tu virgo es; & illæ virgines erant: tu præsumis te esse sapientem; & illæ se esse fatuas non putabant: tu lumen habere lampadem tuam judicas; & illæ profecto lumen præsumptione futuri luminis perdiderunt. Nam, & ideo scribuntur aptasse lampades suas, quia illuminandas esse credebant. Et quid plura? etiam emicuisse in eis quiddam luminis puto. Cum enim ipsæ, ut legimus, extinguendas forte lampadas suas reformidarent; habebant profecto aliquid, quod

bus omnes docendi sunt , ut possint esse perfecti ; & quos tam magnos esse exemplo in omnibus Deus voluit , ut eos ad singularem vivendi normam non novæ tantum , sed etiam antiquæ legis severitate constringeret ? Nam licet decretum vetus largam cunctis ampliandarum opum dederit facultatem ; omnes tamen Levitas , & Sacerdotes intra certum habendi limitem coarctavit : quos scilicet neque segetem , neque vineam , neque ullum omnino fundum habere permisit . Ex quo intelligi potest , an ea nunc Deus noster velit in Evangelio viventes clericos suos mundanis post se hæredibus derelinquere , quæ adhuc in lege positos ne ipsos quidem voluit possidere . Unde est , quod eis Salvator ipse in Evangelio non , ut cæteris , voluntarium , sed imperativum officium perfectionis indicit . Quid enim laico illi adolescenti dixisse legimus ? Si Matt. 19^a vis esse perfectus ; vende , quæ babes , & da pauperibus . Quid autem ministris suis ? Nolite , inquit , possidere aurum , neque argentum , neque pecuniam in zonis vestris . Non peram in via , neque duas tunicas habeatis , neque calceamenta , neque virgam . Videte , quanta sit in utroque hoc Dei sermone diversitas . Laico

ac transgressionis quodammodo genus iudices, si religiosior fueris; quam a Deo esse jubearis. Si ita est, non prohibeo, quin utaris scientia a Divinitate concessa. Quod si tam falsum est hoc, quam frivolum; quæ insania est, ut non quanta potes omnino facias per cautam, & timidam provisionem; cum ignores penitus, quid tibi competit ad salutem?

Supereft de ministris, & sacerdotibus quiddam, & clericis dicere, licet superflue forte aliqua dicantur. Quicquid enim de aliis omnibus dictum est, magis absque dubio ad eos pertinet, qui exemplo esse omnibus debent, & quos utique tanto antistare cæteris oportet devotione, quanto antistant omnibus dignitate. Nihil est enim turpius, quam excellentem esse quemlibet culmine, & despicabilem

Hic locus refertur supra in pax. 87. vilitate. Quid est enim aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Et ideo cunctos, qui sacri altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu. Si enim viris in plebe positis, & mulierculis ipsa fæce infirmioribus, talem, ac tam perfectam Deus vivendi regulam dedit; quanto utique esse illos perfectiores jubet, a quibus

bus omnes docendi sunt , ut possint esse perfecti ; & quos tam magnos esse exemplo in omnibus Deus voluit , ut eos ad singularem vivendi normam non novæ tantum , sed etiam antiquæ legis severitate constringeret ? Nam licet decretum vetus largam cunctis ampliandarum opum dederit facultatem ; omnes tamen Levitas , & Sacerdotes intra certum habendi limitem coarctavit : quos scilicet neque segetem , neque vineam , neque ullum omnino fundum habere permisit . Ex quo intelligi potest , an ea nunc Deus noster velit in Evangelio viventes clericos suos mundanis post se hæredibus derelinquere , quæ adhuc in lege positos ne ipsos quidem voluit possidere . Unde est , quod eis Salvator ipse in Evangelio non , ut cæteris , voluntarium , sed imperativum officium perfectionis indicit . Quid enim laico illi adolescenti dixisse legimus ? Si Matt. 19^a vis esse perfectus ; vende , quæ babes , & da pauperibus . Quid autem ministris suis ? Nolite , inquit , possidere aurum , neque argentum , neque pecuniam in zonis vestris . Non peram in via , neque duas tunicas habeatis , neque calceamenta , neque virgam . Videte , quanta sit in utroque hoc Dei sermone diversitas . Laico

dixit: *Si vis, vende, quæ possides; ministro autem: Nolo, possideas.*

Sed & hoc parum existimavit, si possessionem ei substantiae amplioris afferret; nisi etiam peram ipsam æcturo iter longum Apostolo sustulisset, & unius eum tunicae singularitate multasset. Et quid postea? nec hoc satis est: nudis quoque insuper servos suos lustrare pedibus orbem terrarum jubet, & calceamenta plantis gelu rigentibus tulit. Quid dici amplius potest? peram de Apostoli manu rapuit, & peragrabus universum mundum ministris suis usum unius virgulæ non reliquit. Et post hæc parum est successoribus eorum, id est, Levitis, ac Sacerdotibus, tanta Divinarum rerum administratione fungentibus, si ipsi tantum divites fuerint; nisi etiam hæredes divites relinquant? Erubescamus, quæso, hac infidelitate! Sufficiat nobis, quod videmur usque ad vitæ terminos Deum spernere. Cur id agimus, ut contemptum ipsius etiam post mortem extendamus? Diximus de personis, atque officiis singulorum: & hæc omnia ideo, quia, ut supra diximus, quidam religionem professi, aut non debere se, sicut cæteros mundiales, substantiam suam Domino, aut certe minus debere arbitrentur;

cum

cum utique hoc magis debeant, quia servus, qui scit voluntatem domini sui, & non facit eam, vapulet multis; qui autem nescit, vapulet paucis. Religio autem scientia est Dei: ac per hoc omnis religiosus, hoc ipso, quod religionem sequitur; Dei se voluntatem nosse testatur. Professio itaque religionis non aufert debitum, sed auget: quia assumptio religiosi nominis, sponsio est devotionis, ac per hoc, tanto plus quispiam debet opere; quanto plus promiserit professione, secundum illud: *Melius est non vovere; quam post votum promissa non reddere.* Eccles. 5.

Sed forsitan dicit aliquis: Si hæc ita sunt; tutior ergo est irreligiositas, quam religio. Minime. religiosus enim per hoc est debitor, quod profitetur religionem; irreligiosus autem, per id, quod neglexerit religionem: ac per hoc ambo habent pro diversitate conditionis debitum suum. Religiosus debet, quicquid se professus est, agnovisse; irreligiosus vero etiam, quod non dignatur agnoscere, secundum illud, quod specialiter sermo Divinus de eo dicit: *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Psal. 11. Sed tamen, qui onerasse religiosos hac re videmur, quia professionem nominis, sponsonem esse diximus religionis; removeamus hanc sarcinam, pu-

temus non ita esse, quæ dixi. Confideremus denique, non quid professione, sed quid ratione, non quid voto, sed quid salubritate ipsa facere debeamns. Dicite mihi, quæso, omnes religiosi, numquid est ullus hominum, qui non omnia, quæ facit, vel salutis suæ, vel certe utilitatis gratia faciat? Nemo, opinor: omnes enim ad affectum, atque appetitum utilitatis suæ, naturæ ipsius magisterio, atque impulsione ducuntur. Ideoque, &, qui militant, id sibi pulchrum, &, qui negotiantur, id sibi fructuosum esse existimant. Et quid plura? fures quoque ipsi, & latrones, & venefici, & siccarii, & omne improbae conversationis genus, id sibi, quod agit, congruum putat; non quod ulli prava convenient; sed, quod ille, qui pravis utitur, hoc sibi credat congruum esse, quod pravum.

Ergo & nos non alia, opinor, causa religionis Philosophiam appetivimus, quam, quod nobis id conveniens arbitrati sumus; cogitantes scilicet & præsentium rerum brevitatem, & futurarum æternitatem; quam parvum istud, quam grande illud: cogitantes quoque futurum judicem, & tremendi judicii graves exitus, ardenter in medio populorum circumstantium vallem perennium lachrymarum, quam non

solum introiri, atque tolerari inæstimabile, ac summum malum; sed etiam videri, ac timeri pars mali summi sit: cogitantes quoque, inter hæc horrenda, & pœnaliſſima, alia hæc præclara, ac beatissima: novos ſcilicet cœlos, & novam terram, vultum rerum omnium pulchriorem, æternum justitiae habitaculum, recens ædificium creaturarum, aureas ſuper rudes cœlos sanctorum omnium domos, aulas gemmis intermicantibus expolitas, & immortalium metallorum fulgore pretiosas, lucem illic septuplo illustriorem, puniceo ſemper splendore radiantem, beatitudinem inefabilibus bonis divitem, lætam cum incolis ſuis perennitatem: Patriarcharum consortium, Prophetarum ſocietatem, Apostolorum germanitatem, Martyrum dignitatem, & in omnibus sanctis Angelorum ſimilitudinem, opum cœleſtium copiam, deliciarum immortalium affluentiam, communem cum Deo vitam. Hæc itaque cogitantes, hæc contemplantes, ad cultum religionis ſacræ, officiumque confugimus, eumque nobis ad obtinenda hæc bona ſuffragatorem quodammodo, & advocatione efficacissimæ intercessionis aſſumpſimus, atque in ejus nos protectionem, ac patrocinium ambitioſa humiliitate contulimus.

Unde, cum hæc tanta & cogitaverimus pariter, & petierimus; videamus nunc, & expendamus diligentissime, si est vel in actibus nostris, vel in substantiis, unde talia, ac tanta a Deo emere possimus? Quod si non est; cur, rogo, non unusquisque nostrum totum pro se offerat, quod habet, quia non potest totum offerre, quod debet? maxime: cum Salvator ipse, ac Deus noster nihil tutius, ac salubrius omni homini esse dixerit, quam rem suam, atque substantiam in usu misericordiæ collocare, idque præcipue & in vetere, & in nova lege mandaverit,
Tob. 12. dicens, quod, qui dividunt propria, ditiores fiant, &, quod misericordia a morte
Psal. 111. liberet. Et alibi de sancto viro: *Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in æternum.* In Evangelio quoque:
Matth. 6. *Nolite, inquit, thesaurizare vobis thesau-*
Luc. 16. *ros in terra.* Et iterum: *Non potestis Deo servire, & mammonæ.* Et iterum:
Matt. 23. *Væ vobis, divites, qui habetis consolazioni vestras!* Avaris quoque, & inhumanitatis crimine reis: *Ite, inquit, in ignem æternum, quem paravit Pater meus diabolo, & angelis ejus.* Quorum, quæ pœna semper futura sit; facile intelligitur, quibus sors cum diabolo deputatur, per quæ tamen tormenta maxima, non
atro-

atrocissima illa in eis fornicationum , aut homicidiorum , aut sacrilegiorum crimina puniuntur , sed sola tantummodo avaritia , & abdicatrix misericordiae inhumanitas . Unde intelligere nos convenit , quid passuri sint , quos , præter alia peccata , etiam avaritia reos fecerit ; cum summo supplicio afficiendi sint , quos expertes omnium peccatorum , solum avaritiæ crimen morte damnarit . Quæ utique , si futura omnia credimus ; absque dubio evitare debemus : si autem non devitamus ; profecto non credimus : si autem non credimus ; Christiani nequaquam sumus . Neque enim possumus quenquam dicere Christianum , qui non putat Christo esse credendum .

Sed esto , illas , quas diximus pœnas , non timeamus rei ; numquid etiam præmium sperare possumus non merentes ? Et ideo , si opes non damus ob peccatorum redemptionem ; demus saltem ad emendam beatitudinem : si non damus , ne damnemur ; demus saltem , ut muneremur . Quia etiamsi præterita mala non sint , quæ oporteat sanctos redimere ; sunt tamen perennia bona , quæ magno debent comparare : etiamsi pœna non sit , quæ timeatur ; est tamen regnum , quod ambiatur , ac per hoc , etiamsi non habent

sancti, quæ redimant; habent tamen, quæ emant. Nisi forte aliquis damnum in emptione vereatur, videlicet, ne plus commodet, quam recipiat, ne grandia fœneranti parva reddantur, ne largitionem redhibitio non repenset, & data semel pretii magnitudine, pecunia periclitetur emptoris, ac, si magnum quid Domino commendarit in terra; non habeat Christus forsitan unde ei solvat in celo. Plane, si ista dubitatio est, fieri nihil suadeo: quia nec profunt omnino ulla dubitanti. Cassa quippe est operatio, si fides certa non fuerit; & frustra fœnerat, qui de receptione desperat: Christus enim, ut credimus, factorum omnium retributor est. Si ergo aut inopem eum, qui retribuere non possit, aut infidelem putas esse, qui nolit; quomodo ab eo retributionem sperare poteris, quem & impossibilitatis, & infidelitatis ipse damnaveris? Quod si non ita est, nec ambigis eum factorum esse, quæ dixit; quæ insipientia, aut qui error est, ut non tantum des, quantum potes; cum utique non dubites, multo te plus recepturum esse, quam dederis? Quæ denique miseria, ut malis nihil ex eis recipere, quæ relinquis; cum totum possis penitus possidere, quod credis?

Sed

Sed (miserum me!) puto, non creditur Deo, &, quod dico, puto; utinam ambigue putarem, & non evidenter agnoscerem: laborarem fortasse intra me vincere opiniones meas, & cogerem sensum dubia non credere, ut mentem melioribus applicarem; sed quid agimus? non dubiis rebus vincimur, & evidentiis coarctamur. Quis enim Domino mente credit, & facultate non credit? quis Deo animam suam mancipat, & pecuniam negat? quis promissis cœlestibus fidem commodat, & non agit, ut esse possit particeps promissionum? Et ideo, cum videamus homines hæc non agere; cogimur non credentes palam, & evidenter agnoscere. Non licet, ut eos nos Deo fidem putemus adhibere, cum illi se rebus clament negare. In quo necesse est infidelitatem pene omnium hominum plangi, atque lugeri. O miseria! ô perversitas! Homini ab homine creditur, & non creditur Deo. Humanis promissionibus spes commodatur; Deo negatur. Omnia denique in rebus humanis spe futurorum agunt. Vita quoque ipsa hæc temporaria non nisi spe alitur, ac sustinetur. Ideo enim terris frumenta creditur, ut cum usuris credita recipiamus. Ideo in vineis labor maximus ponitur, quia ho-

mines spes vindemiæ consolatur. Ideo negotiatores thesauros suos emptionibus vacuant, dum venditionibus sperant esse cumulandos. Ideo navigantes vitam ventis, ac tempestatibus credunt, ut spebus, votisque potiantur. Et quid plura? pax quoque inter feras, ac barbaras gentes spe innititur, & fide adstipulante firmatur. Latrones quoque ipsi, & sanguinarii fidem sibi invicem non negant, &, quæ promiserint, mutuo se servaturos esse confidunt. Totum denique, ut dixi, inter homines spebus agitur. Solus Deus est, de quo desperatur. Cumque elementa ipsa, & naturam mundi Dominus noster fidelem fecerit; illi tantum prope ab omnibus non creditur, qui solus fecit, ut rebus omnibus crederetur.

Sed dici forte hoc loco possit, quod rebus suis utantur homines, non esse infidelitatis interdum, sed necessitatis, neque Deo non credere religiosos; sed vitæ, atque usui necessaria reservare: multos enim sanctorum hominum a summa dispensandarum opum perfectione aut sexu nonnunquam, aut ætate, aut ipsa infirmitoris corpusculi imbecillitate prohiberi. Esto, hoc ferri possit; sed tamen etiamsi feratur, ita ferendum est; ut pro qualitate necessitatum, atque causarum suffici-

cientia retineantur, immoderata resecen-
tur. *Habentes enim, inquit Apostolus, 1. Tim. 6.
victum, & vestitum, iis contenti sumus.*
*Nam, qui volunt divites fieri, incident
in tentationes, & laqueum diaboli.* Ergo,
ut videmus, in rebus tantum necessariis
est salus; in superfluis laqueus: in medio-
critate Dei gratia; in divitiis diaboli la-
queus. Denique quid statim Apostolus
subdit? *Quæ demergunt, inquit, hominem
in interitum, & perditionem.* Ergo, si
divitiæ interitum in se habent; evitemus
opulentiam, ne in interitum corruamus.
Ampla, ac locuples facultas perditionem
inferre dicitur. Refugienda est ampla
possessio, ne consequatur profunda perdi-
tio. Ac per hoc, sive sexus, sive ætas,
sive infirmitas necessaria victui requirant;
sufficientibus debent esse contenti, ita,
ut, quicquid temporarium excedit usum,
religiosum absumat officium.

Cæterum, si tu, quicunque, aut quæ-
cunque illa es sanctæ professionis, aut
conservandis opibus, aut cumulandis fa-
cultatibus inhies; superflue de infirmita-
te causaris. Nunquid enim infirmior se-
xus ducere aliter vitam non potest, nisi
animi sui curas multa ingentis patrimonii
administratione distenderit? Nunquid pu-
ella sacra, aut vidua castitate devota ser-

vare illæsam sanctæ professionis perseverantiam non valent, nisi argenti, & auri ponderibus incubaverint, ac tantas intra conscientiam opes possidere se novinvint, quantas usus possidentium non requirit? Aut, quia huic & sexui pariter, & pudori quies maxime necessaria est; nunquid impossibile sibi quæpiam forte æstimat inter pauca famulantum ministeria inviolatam quietem posse servare, nisi aures ejus familiæ ingentis strepitus verberarit, & turbarum circumsonantium tumultuosus clamor obtuderit? Quæ utique sanctæ animæ, & quietem veram desideranti, pati, non tantum nimis magna inquietudo; sed etiam videre quodammodo pars est inquietudinis, quasque etiamsi subdere aliquis disciplinæ, ac silentio velit; comprimere tamen earum inquietudinem cum sua quiete non possit: adeo etiam ipsa emendatio alienæ inquietudinis, perturbatio est nostræ quietis. Hæc autem, quæ de hoc sexu locuti sumus, ad omnes pertinent, omniq[ue] pariter ætati, sexui, infirmitatique convenient. Non est itaque, quod competere quispiam, aut non obesse divitias religioni putet: impedimenta hæc sunt, non adjumenta; onera, non subsidia. Possessione enim, & usu opum non suffulcitur religio, sed sub-

subvertitur , secundum illud , quod Dominus ipse dicit : *Sollicitudo istius seculi , Mass. 17.*
& fallacia divitiarum , suffocant Dei verbum , & sine fructu efficitur. Proprie utique , ac satis pulchre fallaces dixit esse divitias . Bona enim & putantur , & appellantur ; ac per hoc fallunt homines nomine præsentium bonorum : cum sint causæ malorum æternorum .

Sed licet hæc ita sint , ut Deus ipse prædixit ; acquiescamus tamen miseriis quorundam , atque languoribus , qui putant se sine magnis omnino opibus vitam agere non posse . Esto tu , quicunque , aut quæcunque illa es sancti nominis , ac professionis , esto divitias , esto copias tuas usque ad finem vitæ istius habeas ; dummodo saltem in fine tibi conferas . Esto , rebus , ac facultatibus tuis in vita hac uti velis ; dummodo tui vel moriens non obliviscaris , & ad ejus cultum , atque honorem referendam tibi substantiam tuam memineris , cuius te munere accepisse cognoscis . Humanum est , quod ab omnibus vobis , ô divites mundi hujus ! petitur , ac deliosum . Si impetrari ab uno quoque vestrum non potest , ut esse in hoc seculo pauper velit ; præstet sibi saltem , ne in æternitate mendicet . Qui præsentem inopiam tantum fugitis , cur in per-

perpetuum non reformidatis? In brevibus meticulosi, longa, & interminabilia vi-
tate. Quid tantopere in vita ista pau-
pertatem horretis? quid expavescitis? mi-
nus multo est, quod hic timetis. Si te-
nuitatem temporariam gravem ducitis;
qualis, quæso, erit illa, quæ nunquam de-
finet? Quasi vestri apud vos animi rem
agimus, vestrique voti. Si usu vestrarum
rerum penitus carere non vultis; id agi-
te, ne aliquando careatis. Deliciosam a-
vobis rem, & voluptariam poscimus. Qui
sine divitiis omnino esse non acquiescitis;
id agite, ut divites semper esse possitis
sap. 6. secundum illud: *Si ergo delectamini se-
dibus, & stemmatibus, Reges populi;*
*diligite sapientiam, ut in perpetuum re-
gnatis.* Alioqui qui error, aut quæ in-
fania est, quenquam hominum esse posse,
qui acta in amplis opibus, quod solum
sufficit ad reatum, usque ad diem ulti-
mum vitæ, nec in supremo quidem exitu
large, ac salubriter sui memor sit, nec in
ipsa jam de suo sibimet ægra extremitate
succurrat? præsertim cum in divitiis,
Eze. 6. per Dominum accusantibus, secundum
illud Domini dictum: *Væ vobis divites,*
etiam alia ipsi diviti peccatorum genera
non desint, quæ in ipso divitiarum sinu,
atque matrice, quasi in naturali quodam
for-

somite pullularint) ut non vel in ultimis suis id agat, id elaboret, id omni rerum suarum ambitu promereatur, ne reus exeat, ne reus vadat, ne cruciandum postea corpus, cruciandam etiam ad præsens animam derelinquit? Quis ergo est aut tam infidelis, aut tam insanus, qui hæc non cogitet, hæc non timeat? qui de substantia sua aliis magis, quam sibi consulat, & cuncta penitus spe vitæ hujus, cunctis subsidiis destitutus, unam tantummodo tabulam, cui inhærere adhuc, quasi in medio mari naufragus possit, amittat? nec amittat tantummodo; sed abjiciat, atque a se penitus expellat, omnibus modis id elaborans, ne quid sibi omnino reliquum esse faciat, quo periturus evadat?

Quæ cum ita sint; dicite mihi, quæso, omnes Christum amantes, si cœilli omnino homines tam sævi, ac tam crudeles adversum inimicos suos possunt, quam sunt isti adversum se? Nulli quippe sunt tam feri, tam inhumani, qui non vel desperatos jam, atque morientes adversarios suos persequi desinant; isti seipso etiam in morte positi persequuntur. An non est hoc persecutio, aut esse alia major potest, exhæredari hominem a se ipso, extorrem bonorum omnium fieri, & quasi in exilium a se ipso agi? atque

hoc non communi more, aut usitato, sed novo, & crudelissimo? Omnes enim exules, etsi corporibus ablegantur; animis non eliminantur: etsi carne captivi sunt; cordibus tamen, si volunt, liberi perseverant. Hoc autem, unde nunc loquimur, novum exilii genus, atque tormentum est: scilicet, ubi in exilium anima ipsa mittitur, ubi e facultatibus suis spiritus abdicatur. O quanto leviores sunt extranei, & carnales inimici! Illi enim corporum tantum hostes sunt; vos spirituum: illi tantum actuum; vos & animarum. Leve est itaque, in comparatione facinorum vestrorum, illorum odium. Facile est enim, quicquid in praesenti seculo nocet; illud grave, illud perniciosum est, quod in aeternitate jugulabit. Et *Man. 10.* ideo Salvator ipse: *Nolite, inquit, eos timere, qui possunt corpus occidere, animam autem non possunt.* Facile est ergo odium, quod corpus laedit, non laedit animam: quia laeso corpore, anima extra damnum est, & passionibus carnium beatitudo spirituum non interpolatur. Illud itaque, illud inexpiable malum est, illud estimari omnino non potest, quod totum omnino hominem sine fine damnabit. Et ideo leniores vobis inimici vestri sunt, quam vos ipsi. Omnis siquidem inimi-
ci-

citia morte dissolvitur; vos contra vos
ita agitis; ut inimicitias vestras nec post
mortem evadatis.

FINIT LIBER SECUNDUS.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

DUobus superioribus libris cum duabus
filiorum tuorum partibus, id est, una
in mundi amatrice, alia religionis imaginem
præferente, ô Domina mi Ecclesia Dei!
quasi separatim locuti sumus; in hoc au-
tem, si Deus annuerit, ad utramque,
prout causa, ac ratio postulaverint, loqui
cupimus, nunc divisim alterutram, nunc
ambas pariter alloquentes. Supereft, ut
ab utraque earum, agnoscente in lectionis
serie partes suas, quicquid pro affectu
Dei a nobis dicitur, cum affectu Dei re-
cipiatur. Igitur, quia in cunctis, quæ jam
locuti sumus, speciale Christianorum o-
mnium bonum misericordiam, ac largita-
tem esse memoravimus, præcipuaque in
eis & merita sanctorum, & peccatorum
remedia contineri, idoneis, ut reor, ac
multis testibus approbabimus; non opinor,
a quoquam plura expectari, maxime: cum,
si quis cupidus est plurium; ipsos adire

debeat libros Dei, qui tam multis, ac magnis testibus pleni sunt, ut universarum cœlestium literarum pene unum sit testimonium. Supereft, adversum eas responsionum infidelium causas, quæ a quibusdam mortiferæ excusationis gratia opponi solent, quipiam dicere.

Loquens Salvator in Evangelio, propterea commodari hominibus opes a Domino, ac pecuniam, dicit, ut cum usuris multiplicibus commodata reddantur, dicens avarissimo debitori: *Serve male, ac piger, sciebas, quod ego meto, ubi non semino, & conproto, ubi non sparsi; oportuit ergo te pecuniam meam dare nummulariis, & ego veniens cum usuris receperissem, quod meum est. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta.* Ac paulo post: *Et servum, inquit, nequam projicite in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.* Quod, tametsi etiam ad aliud referri potest; tamen loco quoque, & causæ huic non insalubriter coaptatur. Cum enim nummulari, Salvatoris pauores, & egeni, recte intelligantur: quia pecunia, quæ talibus dispensatur, augetur; cum usuris, absque dubio, Deo redditur, *Euc. 12.* quicquid egentibus erogatur. Unde & alibi apertius ipse Dominus distribuere di-

vites opes mundi, & facere sibi sacculos,
qui non veterascant, jubet. Sed & in
vase electionis suæ idcirco locupletibus ^{1. Tim. 6.}
divitias a Domino dari indicat, ut bono
opere ditescant. Et ideo etiam ego mi-
nimus, & indignissimus famulorum Dei
primum, ac saluberrimum religionis offi-
cium esse dico, ut Christianus dives, dum
in hac vita est, divitias mundi hujus pro
Dei nomine, atque honore consumat; se-
cundum autem, ut, si id vel metu, vel
infirmitate, vel necessitate aliqua præpe-
ditus forte non fecerit; saltem moriens
universa dispenset.

Sed dicit fortasse: Filios habeo. Jam
de hoc quidem principalis libelli pagina
& convenientia, ut arbitror, & non pau-
ca memoravit; satisque ad hanc rem Do-
mini sermo sufficit dicens: *Qui amat fi-
lium, aut filiam super me; non est me
dignus.* Sed & Propheticum illud, quod ^{Matt. 10.}
ait, neque Patres pro filiis, neque filios
pro Parentibus judicandos; sed unumquem-
que hominum aut sua justificatione sal-
vandum, aut sua iniustitate periturum.
Ac per hoc, quaslibet divitias homo filiis
suis congerat; nequaquam hoc ei pro-
derit in judicio, quod divitem reliquit
hæredem. Sed esto, ignosci Parentibus
possit, si ex parte aliqua hæreditarias fa-



cultates filiis derelinquant; si tamen id ipsum bonis, si tamen sanctis. Esto quoque, ignosci possit; si etiam malis quidam, atque vitiosis. Habere aliquam excusationis speciem videntur dicentes: Pietas vicit, vis sanguinis compulit, natura ipsa, quasi amoris manu in jus suum traxit. Scivimus, quid justitia Dei posceret, quid sacra veritas postularet; sed subacti, fatemur, sumus jugo incarnatae necessitudinis, & dedimus captivas manus vinculis charitatis. Cessit sanguini fides, & vicerunt devotionem religionis, jura pietatis. Dici aliquid potest, tametsi salubriter dici non potest: est umbra excusatiunculae non excusans, dans reo deprecatiunculae speciem, non reatus securitatem. Nequaquam enim id ulli spondeo, quod possit cujuslibet rei firmum habere subsidium; si aliquid plus amaverit, quam Deum, secundum illud, quod scriptum est: in hoc futurum esse iudicium, quod venerit lux in hunc mundum, & dilixerint homines magis tenebras, quam lucem. Nemini enim dubium est, totum id tenebras futurum homini, quicquid Divinæ prætulerit charitati. Hæc ergo ita sunt.

Sed esto, ut dixi, indulgeri Parentibus possit, naturæ insalubriter indulgen-

tibus; quid, quod nonnulli filios non habentes, a respectu se tamen salutis suæ, & remedio peccatorum penitus avertunt? ac licet semine sanguinis sui careant; quærunt tamen quoscunque alios, quibus substantiam propriæ facultatis addicant, id est, quibus umbratile aliquod propinquitatis nomen inscribant, quos sibi quasi adoptivos imaginarii Parentes filios faciant, & in locum eorum, quæ non sunt, pignorum, perfidia generante succedant? ac sic miserimi, cum vinculis filiorum non constringantur; ipsi tamen sibi vincula parant, quibus infelicia animarum suarum colla constringant: cum vis domesticorum discriminum nulla sit; foris discriminem accersunt, & licet causæ defint periculorum; ruunt tamen quasi interitum voluntarium. Quorum errores infelicissimi, quo affectu animi accipiendi sint, ac ferendi; prope incertum apud quosdam videri potest, irascendumne iis, an dolendum sit? Error enim dolore dignus est, impietas execratione. Ad fletum trahimur infelicitate, ad iracundiam infidelitate. In una re est, quod pro hominum insipientia lugeamus; in alia, quod pro Dei amore moveamur, ullum omnino hominum inveniri, aut esse posse, qui decursu infelicis vitæ istius brevi spatio, in

ipsa extremitate jam pendens , iturus illi-
co ad tribunal Dei , quicquam aliud co-
gitet præter finem suum , quicquam aliud
præter exitum suum , quicquam aliud præ-
ter periculum suum , & neglecta spe sua,
atque anima , cui opitulari aliquatenus
vel in ultimis suis omni studio , omni nisu ,
omni re , ac substantia sua debeat ; hoc
solum cogitet , hoc solum animo suo vol-
vat , quam laute hæres suus ; res suas co-
medat ? Miserrime omnium ! quid sollici-
tus es , quid æstuas , quid auctorem re-
rum periturarum ipse te facis ? An times
forte , ne desint , qui te mortuo , quod
dereliqueris , vorent ? Nolo metuas , nolo
verearis . Utinam tam facile tu salvus
esses , quam tua omnia deperibunt ! O
infidelitas ! ô perversitas ! Etiam vulgo
dictum est : omnes sibi melius velle , quam
alteri . Novum hoc monstri genus est ,
cuilibet quenquam velle consulere . tan-
tum ne sibi . Ecce iturus es , infelicissi-
me omnium ! ad examen sacrum , ad tre-
mendum illud , intolerandumque judi-
cium , ubi peregrinanti animæ , atque an-
xiæ nullum potest omnino esse solatium ,
nisi sola tantummodo bona conscientia ,
nisi sola tantum innocens vita , aut , quod
proximum est bonæ vitæ , misericordia ;
ubi reo homini nullum est adjutorium ,
nisi

nisi sola mens larga, nisi pœnitentia fructuosa, & eleemosynæ copiosæ, quasi manus validæ; ubi denique pro diversitate meritorum aut summum bonum invenies, aut suinnum malum, aut immortale præmium, aut sine fine tormentum. Et tu de locupletandis quibuscunque hæredibus tuis cogitas? de opibus agnatorum tuorum, cognatorumque suspiras? quem potissimum ditiorem patrimonio tuo facias? cui supellestilis variæ ornamenta transcribas? cujus apothecas copiis tuis repleas? cui majorem servorum numerum derelinquas? Infelicissime omnium! cogitas, quam bene alii post te vivant; non cogitas, quam male ipse moriaris? Dic mihi, quæso, ô miser, ô infidelis! cum multis patrimonium tuum dividias, cum multos facultatibus tuis dites, numquid de solo te es tam male meritus, ut tibi nec inter extraneos locum facias hæredis? Ecce expectat te jam egressurum de vita ista officium tribunalis sacri, expectant tortores angeli, & immortalium tormentorum terribiles ministri; & tu futuras post te hæredum mundialium voluptates animo volutas? tu delicias aliorum mente pertractas? quam bene scilicet post te hæres tuus de tuo prandeat? quibus copiis ventrem expleat? quomodo usque ad

nauseam redundantem viscera exsaturata distendat? Infelicissime omnium! quid tibi est cum his næniis? quid tibi cum his deliramentis? quid cum stultitia hujus erroris? quid cum perditione istius vanitatis? Numquid succurrere hoc tibi inter supplicia summa poterit, si is, qui res tuas prodige comedit; laetus, & pransus bene eructarit, aut etiam, ut tibi, qui devoranda tua omnia tradidisti; redundanti cruditate plus præstet, si bene vomuerit? Sed de iis, unde nunc loquimur, si res, ac ratio postulaverint; etiam post hæc aliqua subdemus.

Interim hoc specialiter dico, & peculiari admonitione commoneo, ne ullum omnino aliquis, quamvis charissimum pignus, animæ suæ præferat. Neque enim iniquum est, ut quilibet Christianorum etiam legitimis hæredibus in seculo consulat; dummodo sibimet in æternitate succurrat multis modis: quia & facilius est hic deesse filiis quippiam, quam Parentibus in futuro, & multo levior præsens tenuitas, quam æterna paupertas; maxime: quia, cum illic non paupertas tantum, sed etiam mors, ac pœna timeantur; facilius est utique hic hæredibus deesse quiddam de patrimonio, quam illic testatoribus de salute; idque, & ipsi qui-

quibus hæreditas derelinquitur, si modo pietatis aliquid in se habent; specialiter velle debeant, ne illi pereant, qui relinquunt. Quod utique, si nolunt; multo minus digni sunt, quibus aliquid relinquatur: quia non injuste testator sapiens non relinquit, quod hæres impius non meretur. Itaque optimum est, ut unusquisque sibi consulat, & animæ, ac saluti suæ omnia derelinquat. Sint quamvis interdum non filii tantum, quibus videtur naturaliter plus deberi; sed etiam pignora alia ejus vel meriti, vel conditionis, ut eis ad impertiendum quiddam, ac largendum justitia ipsa, ac Dei cultus patrocinetur, & quibus non solum pie aliquid relinquatur; sed etiam irreligiose non relinquatur. Scilicet, si aut Parentes sint calamitosi, aut fideles, aut sanctæ conjuges, aut, ut longius denique munus pietatis extendam, si aut propinqui inopes, affines egestuosí, aut denique cuiuslibet necessitudinis indigentes, vel certe, quod super omnia est, Deo dediti. Hoc enim est præcipuum, ac supereminens, si id ipsum, quod agit aliquis pietatis officio; religionis faciat affectu. Beatus enim ille, qui suos ipsos Divini amoris spiritu amat, cuius charitas Christi cultus est, qui in naturæ vinculo Deum cogitat naturarum Patrem,

&

& amoris munera in sacrificia convertens, tantum sibi immortalis lucri, & beatorum fructuum parat, ut, dum id, quod pignoribus suis præstans Domino suo scenerat; hoc ipso, quod suis liberalitatem tribuit temporariam; sibi mercedem pariat sempernam.

At vero nunc diversissime, & impissime nullis omnino a suis minus relinquuntur, quam, quibus ob Dei reverentiam plus debetur; nulos pietas minus respicit, quam, quos præcipue religio commendat. Denique, si qui a Parentibus filii offeruntur Deo, omnibus filiis postponuntur oblati, indigni judicantur hæreditate: quia digni fuerint consecratione; ac per hoc una tantum re Parentibus viles furent: quia cœperint Deo esse preciosi. Ex quo intelligi potest, quod nullus pene apud homines vilior est, quam Deus: cuius utique fit despectione, ut eos præcipue Parentes filios spernant, qui ad Deum cœperint pertinere. Sed præclaram videlicet, qui hæc faciunt, rationem consilii sui reddunt, dicentes: Quid opus est, ut filiis jam religiosis æqua hæreditatis portio relinquatur? Nihil ergo justius, nihil dignius, quam, ut, quia cœperunt religiosi esse, mendicent. Non quidem, quod eos hæc res mendicitate

op-

oppressura sit, quod a terrenis facultatibus abdicantur, cœlum spe possidentes, cito etiam re possessuri, regente illos Deo suo, ac protegente, qui eos cum immortalí spe æternorum, temporalium etiam sufficientia munerabit. Sed tamen, quantum ad humanitatem Parenrum pertinet, egent, a quibus sic relicti sunt, ut egerent. Certe etiamsi, qui non penitus domo eliminantur, & quibus non omnino extorribus, quasi aqua, & igni interdicitur, cum aut tenues, aut certe usufructuarii relinquuntur; tamen tanto inferiores fratribus relinquuntur, ut, etiamsi paupertate non egeant; comparatione tamen egere videantur.

Dicitis, quid opus est religiosis æquam accipere cum fratribus patrimonii portionem? Respondeo: ut religionis fungantur officio, ut religiosorum rebus religio ditetur, ut donent, ut largiantur, ut, illis habentibus, cuncti habeant non habentes; immo, si tanta est eorum fides, atque perfectio, ut habeant cito, non habituri, beatus utique, postquam habuerint, non habentes. Cur eis, quæso, ô inhumaniſſimi Parentes! necessitatem indignissimæ paupertatis imponitis? Permittite hoc religioni ipsi, cui filios tradidistis: rectius pauperes a se fiunt. Si tantum eos inopes esse cupitis; concedite id ipsorum de-

votioni. Liceat eis, quæsumus, ut velint pauperes fieri: eligere inopiam debent, non sustinere. Postremo, etiamsi sustineant, devotione eam tolerent, non damnatione patientur. Cur eos velut a natura expellitis, & quasi a jure sanguinis abdicatis? Et ego esse eos pauperes volo; sed, ut habeat tamen præmium suum ipsa paupertas, ac præclara demutatione eligant inopiam ex copia, ut ex inopiae electione copiam consequantur. Quanquam quid ego vos per ipsum sanctissimæ rationis officium trahere ad humanitatem, pietatemque contendō? cum id maxime obſistat, & hæc res Parentes impios faciat, quæ magis pios facere deberet. Nam cum vos ideo plus relinquere ex patrimonio vestro religiosis filiis debetis, ut aliquid ad Deum ex facultatibus vestris saltem per filios perveniret; ideo filiis non relinquitis, ne illi habeant, quod Deo relinquunt. Præclara videlicet ratione, atque cautela contenti estis, vos filios non agnoscere, ne illi se filios Dei esse cognoscant; magnificam repensantes beneficiis sacris vicissitudinem, dum id studiosissime procuratis, ne vel per vestros aliquid honor Dei habere possit, cum omnia vos per Dei munus habeatis. Cur, rogo, tam infideliter, cur tam impie agitatis?

tis? Non exigimus, ut vestra Domino largiamini; aliquid Deo de suo reddite. Cur tam avare, cur tam impie agitis? Non est vestrum, quod denegatis. Iniquum igitur arbitramini, ut secularibus filiis religiosos substantia pares esse faciat? Id ergo agitis, ut poeniteat eos cœptæ religionis, quos religio apud vos fecerit viles. Pius itaque, ac bonus Dominus, qui servet in eis propositum, ac professionem suam. Cæterum, quantum in vobis est, id agitis, ut seculi eos cultores esse faciatis, quibus seculares filios antefertis. Quid est enim aliud, quam religionem interdicere; ob religionem despiciunt habere?

Sed injusti fortasse videamur, cunctos Parentes in hoc negotio æqualiter accusando: cum scilicet non omnes pari agant iniquitate cum filiis. Sunt enim, inquit aliquis, sunt ex Parentibus multi, qui æquales filiis suis faciant portiones; nisi, quod una tantum eos conditione discernunt, quod in his partibus, quæ religiosis videntur adscribi, usum jubent ad eos; proprietatem ad alios pertinere. At vero hoc multo est pejus, & infidelius. Tolerabilioris quippe impietatis esse videtur, cum proprietate aliquem filiis suis minus relinquere, quam proprietatem iis rerum penitus auferre. Potest enim aliquatenus fer-

ferri ista conditio, si aut amicis, aut affi-
nibus , aut propinquis hac lege ali-
quid relinquatur. Filiis vero, qui pro-
prietatem rerum non tribuit , nil relin-
quit. Sed invenit iniquissima infidelitas
Parentum, quomodo a patrimonio suo
Deum penitus excluderet, proprietatem
rerum religiosis filiis auferendo. Usum
enim in his dedit, ut esset, quo ipsi vi-
verent ; proprietatem his tulit, ut, quod
Deo relinquenter, non haberent. O no-
vum irreligiosæ mentis ingenium ! Inve-
nit, quo videretur filiis suis majore erga
Deum sua impietate consulere. Fecit
enim , ut sancta soboles usum rerum ha-
bens, jus rerum non habens, quasi locu-
ples quidem viveret ; sed quasi mendica
moreretur , ac sic testator infidelissimus
plena de hoc mundo possit securitate di-
scendere : cum sciret de suo ad Deum pe-
nitus pervenire nil posse.

Quamvis in hoc ipso , quod supra di-
xi, per usum rerum aliquam filios religio-
sos opum imaginem possidere , ne hoc sit
quidem : quia etsi usus videtur aliquid ha-
bere ; conscientia tamen non habet. Ne-
mo enim potest se vel brevi divitem cre-
dere, qui scit se proprium nil habere.
Quid agis miserrima infidelitas , & paga-
nicæ, ut ita dixerim, irreligiositatis erior?

Ita-

Itane, tantum odisti Deum, ut possis etiam filios tuos ob hoc tantum, quia ad Deum pertinent, non amare? Meliore enim conditione quidam relinquunt libertos suos, quam tu relinquis filios tuos. In usu siquidem quotidiano est, ut servi, et si non optimæ, certe non improbabæ servitutis Romana a dominis libertate donentur: in qua scilicet & proprietatem peculii capiunt, & jus testamentarium consequuntur ita; ut & viventes, cui volunt, res suas tradant, & morientes donatione transcribant. Nec solum hoc, sed & illa, quæ in servitute positi conquisierant, ex dominorum domo tollere non vetantur. Tantum eis interdum gratia patronæ liberalitatis impertit, ut etiam juri suo detrahat, quod libertorum dominio largiatur. Quanto, ô quisquis ille es infidelissime Pater! quanto domini illi melius cum libertis agunt, quam tu cum liberis? Illi, quæ donant, perpetuo jure donant; tu temporario, illi testamenti faciendi arbitrium dant libertis; tu tollis liberis, illi postremo servos suos dant libertati; tu quasi addicis filios servituti. Nam quid est aliud, quam servituti addicere, quos non vis aliquid, quasi ingenuos possidere? More ergo illorum utes, qui servos suos non bene de se meri-

tos, quia civitate Romana indignos judicant, jugo Latinæ libertatis addicunt: quos scilicet jubent quidem sub libertorum titulo agere viventes, sed nolunt quicquam habere morientes. Negato enim his ultimæ voluntatis arbitrio, etiam, quæ superstites habent, morientes donare non possunt. Ita ergo & tu religiosos filios tuos, quasi Latinos, jubes esse libertos; ut vivant scilicet, quasi ingenui, & moriantur, ut servi, & juri fratrum suorum, quasi per vinculum Latinæ libertatis adstricti, etiamsi videntur arbitrii sui esse, dum vivunt; quasi sub illorum tam positi potestate moriantur. Quid tantum, quæso, sceleris in titulo esse religionis putas, ut ideo eos, qui religiosi sunt, filios tuos esse non credas, quia filii Dei esse cœperunt? In quo tibi bonæ voluntatis, quasi piaculo rei facti sunt, ut idcirco eos putas habendos esse pejores, quia optant esse meliores?

Sed dicitis, non eo a vobis animo hoc agi. Quod unum est, ac, si quispiam dicat, malas res bono animo a se fieri, & impietatis facinus pia mente committi. Quid prodest, ô inhumanissimi Parentes! quod filios religiosos bono a vobis dehonori animo asseveratis? Res ipsa hoc respuit, res refellit. Parum est, quod nudis

dis assertionibus dicitis, ipsi actibus vestris contra vos testes estis. Indignum ergo arbitramini, ut sancta, ac placita Deo pignora filiis mundo servientibus compararentur? Verum est, & bene arbitramini; si tamen arbitrio isto juste, & in diversum uteremini, id est: ut comparandos bonis filiis malos, & peccatores sanctis non putaretis, &, qui apud Deum vita, ac meritis antecellerent, iidem apud vos gratia, atque honore superarent. Quid enim rectius, quid magis justum, quam ut, qui meliores sunt, iidem etiam honoratores essent? qui vincunt judicio, iidem vincerent præmio? &, qui antistant in Evangelio sacro, iidem quoque in testamento humano antistarent; & hac saltem re concordaret cum voluntate Christi Parentum pietas, ac voluntas, ut, quos Deus præposuisset electione, eosdem etiam Parentes anteponerent dignitate? Scd non solum hoc non agitur, sed in diversum omnia aguntur. Puris enim commaculati præponuntur, fidelibus impii; præponuntur lumini tenebræ, præponitur terra cœlo, præponitur mundus Deo. Et evasuros se hujusmodi Parentes vel in hoc solo judicium Dei aestimant, qui cultum Dei, & dignitatem judicii sui indignitate conculcant? Sed

videlicet non contemptu Dei dicunt Parentes hæc a se fieri, sed causa, atque ratione. Quibus enim, inquiunt, relictam substantiam relicturi sunt, filios non habentes? Dicam quibus: nec nominabo eos, quos supra dixi, pauperes Dei, non alienos, aut longe positos, ne durum, aut inhumanum forte videatur: illos dico charos, & individuos, & quos recte etiam vos, qui multas soboles habetis, filii antefertis: ipsos se, inquam, homines, ô infidelissimi Parentes! ipsos se, inquam, dicimus. Nunquid potest cuilibet quicquam seipso proprius, nunquid carius inveniri? Suam unicuique vestrum animam, suam salutem, suam spem commendamus. Et pios vos esse dicitis, quia filios diligitis? Nihil plane durius vobis, nihil inhumanius, nihil tam ferum, nihil tam impium dici potest, a quibus impertrari omnino non potest, ut vos ipsos ametis. *Pellem*, inquit diabolus in Script. 2. *pturis sacris, pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Dilectissimam esse animam suam homini, etiam dibolus non negavit, &, qui averttere omnino cunctos ab affectu animarum suarum nititur; idem tamen charissimas esse debere cunctis suas animas confitetur. *Quis ergo furor est, viles a vobis ani-*

animas vestras haberi, quas etiam diabolus putat esse pretiosas? quis furor est, viles a vobis haberi, quas etiam ille charas vobis debere esse dicit, qui viles facere conatur? Ac per hoc quicunque animas suas negligunt, etiam infra judicium diaboli se amant. Quæcum ita sint; videte vos, qui putatis religiosos homines non habere, quibus relinquant substantiam suam, videte vel juxta diaboli opinionem, videte, si non habent, qui seipso habent.

Sufficere quidem ad hanc negotii portionem, de qua nunc agitur, hæc, quæ jam diximus, satis arbitror, id est; quod præponere vitam, spem, salutemque vestram cunctis omnino rebus, atque affectibus beatibus. Sed ostendi id vobis forsitan non solis virtutibus rerum, sed etiam auctoritatibus exemplorum desideratis? Possim quidem dicere, majora exemplis omnibus, Dei esse mandata, nec interesse ad augendam Divinorum verborum auctoritatem, impleant ea homines, an non impleant: quia virtutem eorum ex Domini certum est constare persona, non ex servorum obedientia: nec addi eis, nec decedere aliquid per nos potest, quorum honor per auctorem Deum semper æqualis est. Sed tamen, si adjuvari se hominum etiam exemplis humana optat infir-

mitas : scilicet, quo facilius etiam ipsa nunc faciat, quæ alios fecisse ante cognoscat ; ostendimus primo libro hæc, quæ etiam nunc ab aliquantis Christi imitatoribus fiunt, non mediocreiter , sed abundanter , nec a paucissimis , sed a populis , nec ab antiquissimis , sed pene a recentissimis numero esse completa. Quid enim novi, & adhuc prope in oculis constituti Apostolo-
¶ 2. rum actus loquuntur ? Omnes autem , qui credebant , habebant in unum omnia com-
¶ 4. munia. Et iterum : *Gratia quoque ma-*
gna erat in illis omnibus : nec enim quis-
quam egens erat inter illos. Quicunque
enim possessores prædiorum , ac domorum
erant ; vendentes afferebant pretia vendi-
torum , & ponebant ante pedes Apostolo-
rum. *Ibidem.* Alibi quoque : *Et nemo ex eo , quod*
possidebat , suum proprium esse dicebat.
Atque hoc non parvus credentium numerus : ne quem forsitan minus scriptorum auctoritas moveat , dum putat exempla esse paucorum. Quæ fuerit quippe tunc
¶ 1. multitudine Ecclesiæ principalis , vel ex hoc
¶ 4. solo agnosci potest , quod in principiis statim ipsis octo hominum millia biduo Ec-
clesiæ accessisse referuntur , pateatque æsti-
mationi , quæ cæteris diebus universi ge-
neris multitudo concrevit , ubi duo tan-
tummodo dies , præter disparem ætatem

pariter, ac sexum, tantam virorum copiam procrearunt. Unde, cum & tam innumerabilis jam tunc, & tam perfecta plebs fuerit; quæro a vobis, cum quibus loquor, cuncti Parentes: in illis tot, ac tantis tunc credentium millibus, tanta fidei perfectione viventibus, omnesne cum filiis, an omnes sine filiis fuerint? Neutrū opinor: nulla enim Ecclesiæ plebs est, non de utroque permixta. Intelligere ergo possunt, quicunque ex Christianis filios non habent, cui relinquere substantias suas debeant, cum videant, cui reliquerint tunc illi, filios non habentes. Si autem habent; discant, quid etiam ipsos oporteat facere, cum videant, tunc Parentes amorem filiorum Dei filiis prætulisse. Habet igitur omnis ætas, habet omnis conditio, quod sequatur. Qui-cunque est particeps fidei, participem sc̄ beati faciat exempli. Si illi tunc ob Deum donantes omnia sua, etiam se ipsos ex-hæreditavere viventes; discite vos, quæsumus, bona vestra, vel ipsi hæreditare morientes.

Quæ quidem, ut dixi, etiam vos, ò infidelissimi Parentes! curiosius, attentiusque pro vobis convenit cogitare. Oportet quippe vos, mihi credite, etiam inter filios vestros salutis, animarumque vestra-

rum non oblitisci. Propinqua enim ve-
 стра pignora esse vobis, & conjunctissima,
 satis certum est; sed mihi credite, ne-
 mo vobis propinquior, nemo conjunctior,
 quam vos ipsi. Amate itaque, non ob-
 fistimus, amate filios vestros; sed tamen
 secundo a vobis gradu: ita illos diligite,
 ne vos odisse videamini. Inconsultus nam-
 que, & stultus amor est, alterius memor,
 & sui immemor. *Non accipiet*, inquit
 Scriptura sacra, *iniquitatem Patris filius,*
neque Pater accipiet iniquitatem filii sui.
 Et Apostolus: *Unusquisque*, inquit, *pro-
 prium onus suum portabit.* Relictæ ita-
 que filiis divitiæ, Parentes non liberant de
 mendicitate; immo relicta immoderate fi-
 liis facultas, Parentum est sempiterna
 mendicitas: ac per hoc nulli Parentibus
 magis noxii, quam filii nimis amati. Dum
 enim illi patriis bonis affluunt; Parentes
 in sempiternitate cruciantur. Etiamsi tam
 pius sit filius, ut refrigerandi supplicii pa-
 terni gratia communicare cum Patre po-
 stea bona relicta cupiat; non valebit. Red-
 dere siquidem post mortem Patri pietas
 filii non poterit, quod unicuique indevo-
 tio sua, & infidelitas denegarit. Ideoque
 juxta Apostolum unusquisque sarcinas
 suas cogitet: quia unusquisque hominum
 sua onera portabit. Flammæ infelicium
 mor-

mortuorum, divitiis non refrigerantur hæredum.

Dives ille in Evangelio, qui purpura
induebatur, & bysso, absque dubio, qui
locuples in hoc seculo ipse fuerat, etiam
hæredes suos morte ditarat; sed nequaquam
hoc ei proderat, quod opibus, ac
talentis ejus germani divites incubabant,
& ille guttam refrigerii impetrare non po-
terat. Illi erant in abundantia, sed ille
in egestate; illi in gratulatione, sed ille
in dolore; illi in divitiis, sed ille in tor-
mentis; illi fortasse jugiter in luxuria,
sed ille semper in flamma. O infelix, ac
miseranda conditio! Bonis suis aliis præ-
paravit beatitudinem, sibi afflictionem;
aliis gaudia, sibi lachrymas; aliis volu-
ptatem brevem, sibi ignem perennem.
Ubi erant tunc affines, ubi propinqui,
vel filii, quos habuerat? vel germani, quo-
rum meminerat, & quos certe tanto amo-
re dilexerat, ut eorum ne in supplicio
quidem positus oblivisceretur? Quid ei
proderant, quid suffragabantur? Torque-
batur infelix; & opes suas aliis devoranti-
bus, ille refrigerii guttam ardens petebat,
& impetrare non poterat. Et hoc, si
quid addi ad pœnam potest, per illum
sibi tribui postulabat, quem aliquando con-
tempserat; per illum, qui in pure, ac sa-

nie computruerat ; per illum , cuius fo-
torem , ac squalorem longe refugerat , qui
membrorum suorum ulceribus canes pave-
rat , quem scatentes vermium globi etiam
intra recessus peresi corporis exararant .
O gravis nimium , & lugenda conditio !
Pauper beatitudinem emit mendicitate ;
dives supplicium facultate . Pauper , cum
penitus nil haberet ; emit æternas divi-
tias egestate . O quanto has facilius tam
multa rerum possessione dives potuerat
comparare ! qui inter tormenta æstuans ,
& inter supplicia proclamans : *Pater , in-*
quit , Abraham ! miserere mei , & mitte
Lazarum , ut intingat extreum digiti
sui in aqua , ut refrigeret linguam meam :
quia crucior in hac flamma . Non hor-
rebat tunc scilicet dives ille Lazari quon-
dam pauperis manum , nec dignabatur
auxilium . Inferi ejus digitos ori suo , &
mitigari intolerandas faucium flamas
illius pridem fœtidæ , ac squalentis manus
munere postulabat . O quanta rerum mu-
tatio facta fuerat ! Tangi tunc ab eo de-
siderabat ; quem etiam videre ante de-
spexerat .

Hæc ergo divites cogitent , qui redi-
mire facultatibus suis nolunt , ne ista pa-
tiantur . Dives fuit ille , de quo nunc
loquimur ; divites sunt & isti , ad quos
nunc

nunc loquimur. Unius sunt nominis ; ca-
veant, ne fint etiam conditionis unius.
Non liberabunt enim filii divites Parentes
reos ; nec restinguet flamas miseri testa-
toris, delitiis affluentibus opulentus hæres.
Durum est ab aliquo filiis, ac propinquis pa-
rum relinquī; multo est durius in æter-
nitate torqueri. Opinor enim, divitem il-
lum, cum torqueretur, non tantum dele-
ctabant opes hæredis sui ; quantum ange-
bant tormenta corporis sui : non tantum
delectabat, quod hæres suus bene epula-
batur ; quam angebat, quod ipse male
cruciabatur : non tantum delectabat, quod
hæres suus in exquisitis delitiis affluebat ;
quantum angebat, quod ipse intoleran-
dis ignibus diffuebat : non tantum dele-
ctabat, quod hæres suus pascebat parasi-
tos, & helluones copiis suis ; quantum an-
gebat, quod ipse pascebat flamas me-
dullis suis. Et puto, si quis ei tunc optio-
nis copiam præstitisset, utrumne mallet
divites hæredes suos esse, an se in misé-
riis, tormentisque non esse? voluerat pro-
fecto illos omnibus bonis alienari, dum-
modo ille posset malis omnibus liberari :
voluerat offerre omnia, quæ possederat ;
dummodo evaderet, quæ perferebat : vo-
luerat cunctam illam substantiam, quam
habuerat, & temporales argenti, & auri
the-

thesauros pro se dare; ut juges suppliciorum immortalium cruces, & perene illud incendium superjecta, si quo modo posset, divitiarum suarum mole restinguere, & exundantes ignium globos opposita ingentium facultatum immensitate prohiberet. Et quid dicam voluisse eum, ut interminabile illud malum redimeret facultatibus suis? plus dico aliquid: voluerat omnem substantiam suam tradere, ut posset sibi in flammis situs unius saltem horæ requiem comparare. Desiderans enim, ad mitigandas faucium flamas, vel tinctum aqua pauperis digitum; quomodo non quantolibet pretio mercari requiem præoptaverat, qui parvam refrigerii guttam tam magno ambitu postulabat? Sed jam ista quid proderant, aut quid juvabat miserum, quod tunc pro se offerre volebat; qui male ante noluerat? Vel quid tunc proderat, quod dare cuncta cupiebat, quæ jam amiserat; qui nihil tunc pro se dederat, quando omnia possidebat? Sera quippe, ut ait in Scripturis Spiritus sanctus, sera est pœnitentia mortuorum. Quomodo? Non est enim, inquit ad Deum Patrem sermo Divinus,
Psal. 6. non est in morte, qui memor sit tui; in inferno autem, quis confitebitur tibi? Excludi penitus a confessione peccati peccatorem
mor-

mortuum protestatur, nec posse esse quenquam postea Dei memorem, qui in hac vita sui fuerit oblitus. Adeo omnis ei spes penitus absconditur, & omnis vitae aditus obseratur, ut, cum una sit reo salutis via, preces ad Deum fundere, & cœlestem misericordiam incessanter orare; etiam hac peccator lethiferæ oblivionis animadversione damnetur, ut ei nec memoria quidem Dei, a quo sperare debeat, relinquatur.

Hæc ergo cogitent, qui, dum filios habere post mortem divites cupiunt; futurorum suppliciorum nec in morte meminerunt. Hæc cogitent, qui, ut in hæc caduca, & brevi vita hæredes divites habent; æterna seipso morte condemnant. In quo quidem non tam hæredibus consulunt, quam sibi obsunt, non tam illos amant, quam se oderunt: quia non tam salubris amor est, qui brevi consulit, quam grave odium, quod in æternitate cruciabit. Et ideo Deus noster, ut in primo dudum libello diximus, disciplinam Parentes thesaurizare jubet filiis, non pecuniam; perennia præcipit, non peritura conferre. Scilicet, quia res istiusmodi, atque opus sanctum, & filiis pariter, & Parentibus prosunt: filiis utique, per disciplinæ institutionem; Parentibus,

per

per munificentiae largitatem. Et filiis enim hoc disciplina præstat, ut salutem capiant perpetuam, & Parentibus largitas, ut mortem effugiant sempiternam.

Sed cui hæc dicimus, aut cur dicimus? Ubi apertas aures, aut videntes oculos invenire poterimus? *Omnes enim, ut de impiis legimus, pene omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est, qui faciat bonum, non est pene usque ad unum.* Nova quippe amentia tam seculares, quam etiam quosdam religionem professos incessit homines. Siquidem, ut dudum dicere cœperamus, jam non tantum filiis, aut nepotibus, quod ob naturæ necessitudinem ferri potest; sed etiam agnatis, atque cognatis, neque solum, ut ajunt, ex directo, sed etiam ex oblique, & ex transverso, immo potius, ex adverso, perversoque venientibus, res propriæ facultatis, id est, pretium redemptionis, addicunt; sicut scriptum est:

Non dedit Deo propitiationem suam, & pretium redemptionis animæ suæ. Et paulo post: *Simul, inquit, insipiens, & stultus peribunt, & relinquunt alienis divitias suas, & sepulchra eorum, domus eorum in æternum.* Quid inter stultum sit, & insipientem; non est nunc differendi locus: nec sane interest, quæ inter eos

eos meritorum sit differentia, quorum est una perditio. Quod causæ itaque sufficit, cum dixisset, simul insipientem, & stultum esse perituros; videamus, quid vel ad causam, vel ad cumulum perditionis adjecerit? *Relinquent*, inquit, *alienis divitiis suas*. Verum est: quid enim sive tam stultum, sive tam perditum, quam, ut aliquis de suo non sibi consulat? præsertim cum Deus dicat, nihil prodeesse Mat. 16. homini, si totum mundum lucri faciat; animæ autem suæ detrimentum patiatur. *Aut quam dabit*, inquit, *homo commutationem pro anima sua?* Si ergo homines totum mundum spernere oportet, ne animarum damna patientur, & propter suam salutem debet quispiam etiam sua lucra contemnere; quam infidelis est, quam insipiens est, qui, ut alium divitem faciat, animam suam ipse condemnat? maxime cum & ille non multum adipiscatur, qui usum temporalium rerum accipit, & ille inæstimabilia damna perferat, qui fructum beatæ æternitatis amittit. Nam, & ideo sequitur in psalmo: *Sepulchra eorū, domus eorum in æternum.* Quam misera ergo erit perdita sors eorum, qui, quasi sepulchris perennibus deputati, quam conditionem post mortem perferunt corporum; eandem quodam-

modo patiantur animarum? Et quidem minus miseram, si eandem, aut, si ad eos, ut ad jumenta insipientia, nec bonorum sensus, nec malorum passio pertineret; sed illud acerbum, atque intolerabile, quod similiter pereunt; sed non similiter puniuntur: illorum enim mors sempiterna sine sensu est; istorum omnium cum dolore. Ac sic conditionem hominum peccatorum perditio quidem facit pecudibus esse similem; sed tamen poena graviorem.

Cogitent igitur cuncta ista, quæ dicimus; immo, cogitent cuncta illa, quæ Deus dicit, qui sibi nec ante mortem omnino consulunt, nec in morte succurrunt, apud quos oblivio est penitus suarum animarum. Nec interest pene jam apud homines, quibus consulant; dummodo sibi omnino non consulant. Si qui enim ex ipsis, de quibus loquimur, morte appropinquante filios non habent; querunt infidelissime, quos aut propinquos, aut affines suos dicant: aut si id forte deest; querunt saltem aliqua novarum necessitudinum facta nomina. Nec interest, ut dixi, apud eos, quorum meminerint; dummodo sui obliscantur: non interest, quos amare se dicant; dummodo animas suas oderint: non interest, quos divites faciant; dummodo se æterna
men-

mendicitate consumant. O infelicitas, ô infania! Quid tantum, quæso, de se miserrimi omnium male promeruerunt, ut, dum aliorum voluptatibus serviant; se perpetuo persequantur? Videas enim a quibusdam infelicissima vanitate investigari quosdam novos, ac nobiles propinquos, videas incognitarum agnitionum pudenda nomina, & recentium, ac præpotentium affinitatum ridicula commenta, cum dicat quis de aliquo adoptivo, ac subitaneo propinquo: Illum hæredem facio, Parentem meum: aut quæcunque sanctæ professionis vidua, vel puella: Illum hæredem scribo, proximum meum. Ac sic quidam, quos in omni vita, quasi extraneos, alienosque habuerant, subito in extremis propinquos habent; & qui extranei semper fuere viventium, Parentes esse incipiunt mortuorum. Introducunt enim repente in testamentum, quos nunquam introduxere in affectum; & hoc maxime, ut dixi, aut locupletes, aut nobiles, aut honoratos, & qui, nisi potentes essent; Parentes forsitan non fuissent. Ridicula miseri testatoris ambitio! dans censum propriæ facultatis, ad comparandum mendacium propinquitatis, emens pretio hæreditatis nomen hæredis, & totis patrimonii sui viribus hoc elaborans, ne se

ille , qui hæres scribitur , Parentem neget ,
 & ut testator infelicissimus stultissima , ac
 miserrima vanitate , facto hærede nobili ,
 quia in vita sua humilior esse visus est ; ho-
 noratior in morte esse videatur . O cœ-
 citas , ô insania ! Quanto studio , infeli-
 cissimi homines , id efficitis , ut miseri in
 æternitate sitis ? Quanto minore cura ,
 minore ambitu id vobis præstare potuistis ,
 ut semper beati esse possitis ?

Cujus quidem rei causam aliam omni-
 no invenire non possum , nisi solam tan-
 tummodo incredulitatem , atque perfidiam ,
 id est , quod aut judieandos se a Deo ho-
 mines esse non putant , aut resurrecturos
 omnino esse non credunt . Nemo est
 enim , qui resurrecturum se , & judican-
 dum a Deo de operibus bonis , ac malis
 certus sit , qui non vel spei , ac beatitudini
 suæ præstet , ut pro bonis operibus peren-
 nia bona capiat ; vel timori , atque discrimi-
 ni , ne pro malis mala æterna patiatur .

Sed abhorrere hoc videlicet a Chri-
 stiano nomine videtur , ut dicatur bona
 æterna futura non credere ? Quid ergo
 causæ est , ut si quispiam Christianus futura
 credit ; futura non timeat ? Quid ergo cau-
 sæ est , ut si credit , quæ dixit Deus ,
 non timeat , quæ minatur Deus ? si non
 credit verbis , quæ dixit Deus , non cre-
 dat

dat præmiis, quæ promittit Deus? Neque enim se probat promissionibus Dei credere, qui non sic agit, ut possit ad promissa a Deo præmia pervenire. In ipsa quippe hac vita hominum, si judicandum se aliquis ab humana hac potestate, & rapientium se ad tribunal terrenum esse cognoverit; advocatos requirit, patronos adhibet, officialium, atque apparitorum gratiam, favoremque mercatur, & hæc omnia metu judicii futuri agit; cum tamen eventum judicii comparare non possit. adeo etsi victoriæ emere ipsam non valet; spem tamen victoriæ magno emit. Dic mihi, quisquis ille es, qui credere te judicium Dei dicas? tu, si vel supradictorum exemplo hominum judicandum te esse a Deo crederes, nonne spem, ac salutem tuam quolibet pretio comparares? Sed non credis utique, non credis; &, licet credulitatem tuam verbis tuis velis asseverare, non credis. Verbis enim, ut ait *Tim. i.* Apostolus, confiteris, sed factis negas.

Denique, ut infidelitatem tuam tibimet ex teipso probem; dic mihi, obsecro, quisquis ille es, qui substantiam tuam vel propinquuo cuiquam diviti, vel affini, vel, si hi forte desunt, etiam extraneo derelinquis; cur eam non sanus a te, atque incolumis abdicasti? cur non sospes, ac ve-

getus hæredibus tradidisti? sed in testamento ipso providentissime caves, & sollicite, ac diligenter inscribis: *Quando ego ex rebus humanis excepero; tunc mibi tu ille charissime hæres es*. Dic mihi, quæso, cur huic charissimo, ut ipse ait, ac devinctissimo tuo tamdiu nihil de tuo tribuis, tamdiu nihil de tuo tradis, quamdiu te putas esse victurum, sed tum, cum te vides esse moriturum? & quid dico, cum esse te moriturum vides? immo id caves providentissime, ne vel spirante, vel moriente te quicquam de tuo habeat, sed jam defuncto omnino, jam mortuo. Et mirum est, quod hoc ipsum finis, ut funestato te tua habeat, nisi etiam jam exportato, atque tumulato. Quamvis etiam in hoc, quod ait: *Quando ego ex rebus humanis excepero*, id ipsum cavisse videaris. Hoc est enim ex rebus humanis penitus excedere, totum omnino cum suo corpore hominem in præsentia humana- rum rerum esse desisse. Dic mihi itaque, cur hæc tam provide in testamento caves, cur tam sollicite, ac prudenter interseris? absque dubio: quia necessariam tibi, dum vivis, rem tuam judicas, quia alienare te facultatibus tuis non vis; & iniquissimum putas, vivo te, & incolumi alium tuo divitem fieri, te autem men- di-

dicitate consumi. Verum est, ac rectum putas, nec irrationabilem curam abnuo, & quicquid a te in hunc modum dicitur, probo. Sed in uno tamen mihi satis a te fieri cupio. Quid est, quod tu, qui tibi in vita ista usum rerum tuarum tantopere necessarium putas; fructus, ac redditus facultatis tuæ post mortem necessarios esse non putas? Dicis absque dubio: quia mortuo nihil opus est, nec reservandum mihi quicquam in tempus illud est: quia defunctus, ac nihil sentiens, nec delectari possum possessione rerum mearum, neque amissione cruciari. Evidens causa est. Ergo idcirco moriens substantiam tuam alteri deputas, quia capere ex ea fructus post mortem ipse non possis. Sed quid, quod electissimum vas Dei, Apostolus Paulus, testificatur, & clamat, quod *quæcunque homo in vita hac seminaverit; hac post mortem metet: & qui parce seminat, parce & metet: & qui seminaverit in benedictione, ex benedictione & metet?* Ex quo aperte intelligi voluit, eos, qui seminaverint in parcitate, benedictionem metere non posse. Dum enim dicens: *Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictione, ex benedictione & metet,* evidenter utique benedictionem in sola posuerit largitate; ostendit

dit, parcōs seminatores mendicitatem, largos benedictionem esse messuros.

Sed sortasse hæc tibi, quicunque es, ô infidelis! aut parum valida, aut parum aperta esse videantur? Quid, quod Dominus ipse in Evangelio nihil quenquam de operibus bonis perdere Christianum, manifestissime docet, dicens: *Quicunque*
Matt. 10. *potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli; amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Quid dici evidentius potuit? etiam eam rem in futuro habituram præmium esse dixit, quæ in præsenti pretium non haberet, tantumque honoris cultui suo tribuit, ut aliquid esset illic per fidem, quod hic omnino nihil esset per vilitatem. Sed tamen, ne in hoc sibi quidam forsitan blandirentur, si multa habentes exiguis possent magna mercari; subtiliter posuit, etiam pro calice aquæ frigidæ, non perituram esse mercedem: hoc utique evidenter ostendens, non pro parvo aliquid magnum esse reddendum, sed tamen qualcunque fidei opus; non esse peritulum. Habes itaque indubitatelem futuræ retributionis securitatem, habes recipiendorum bonorum operum satis idoneum vadem: qui quidem tantæ non solum fidei, sed etiam misericordiæ, atque pietatis est, ut non

non solvat tantum , quod promiserit, quasi debitum ; sed etiam ostendat aliquid, quo se faciat debitorem. Nam, qui pro calice aquæ frigidæ redditum se dixit esse mercedem , non solum vult solvere, quæ acceperit ; sed etiam demonstrat aliqua, quæ solvat. Pius scilicet , ac misericordia plenus , & consulere volens non solum diviti largitati , sed etiam pauperculæ officiositati , ostendit, quo obnoxium sibi in aliquo Deum faceret etiam, qui , quod fœneraret, penitus non haberet.

Sed forsitan tibi, quicunque dives es , indignum hoc facultatibus tuis opus pauperorum esse videatur , & velis aliquam ad te peculiariter pertinentem sponzionem Dominicæ reprobationis audire ? Habet primum illud, quod ad divitem illum Deus in Evangelio loquitur: *Vade, vende omnia* Matt. 19:6 *bona tua, & habebis thesaurum in cœlo.* Deinde illud , quod præcepto interdictorio generaliter jubet : *Nolite thesaurizare vo-* Matt. 6: *bis thesauros in terra; thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo.* Postremo illa , quibus omnes rerum mundialium possessores ad opus profluæ largitatis spe infinitæ remunerationis invitat , dicens: quod omnis , qui propter honorem, atque amorem suum aut domum , aut agrum, aut quamcunque aliam facultatem

Matt. 19. in usus misericordiae prorogarit ; centu-
plum accipiat in futuro. *Insuper autem*,
inquit, & *vitam æternam possidebit*. Quid
spondere majus credentibus sibi potuit,
qui magis fœnectoribus suis centuplum se
redditurum esse promisit ? nec solum hoc;
sed *vitam*, inquit, *æternam possidebit*.
Hoc multo plus est, quam ipsa centupli
retributio : quia id ipsum, quod quis in
centuplo acceperit, in perpetuo possidebit.
Non erit ergo tunc fragilis, & caduca
possessio, nec in similitudinem terrenarum
divitiarum, umbræ prætereuntis, aut so-
mnii vanescentis more peritura. Quic-
quid datum a Deo fuerit, immortale erit;
quicquid acceptum fuerit, sine termino
permanebit. Ac per hoc, ut dixi, plus,
quam centuplum accipit, qui sic accipit:
quia vincit centupli pretium, id ipsum esse
centuplum sempiternum.

Quæ cùm ita sint, & cùm tanta abs-
que dubio recepturus sit, qui Deo credit,
quomodo tu his rebus, quas Deo dede-
ris, usurum te esse post mortem non pu-
tas, quarum tibi non usum tantummodo
Dominus, sed augmentum etiam, & su-
perexcellentem cumulum pollicetur ? Aut
forte accipere hæc tanta non vis ? sed
hoc ratio non patitur, ut nolis. Nemo
enim est inter homines, qui, cum beatus
esse

esse valeat, miser esse malit; nemo est, qui, cum habere possit delicias summi boni, pati velit supplicium summi mali: nullus profecto, nullus: & ideo nec tu quidem; nisi forte monstruosa sit in te aliqua, & discrepans ab humano genere natura, ut solus tibi penitus bene esse nolis, solus beatitudinem fugias, solus suppliciis deleteris. Quod si utique non est; quid ergo causæ est, ut non vel moriens, & in ultimis situs, id saltem supremæ oblationis officio, & omni rerum tuarum ambitu agas, ut, si mereri a Deo potes; locuples, ac beatus sis? si autem id non potes; certe vel pro hoc merearis, ut miser non sis, certe ut non uraris, certe non torquearis, certe ut tenebris exterioribus non injiciaris, & ardentibus sine fine flammis non decoquaris? Quæcum ita sint, quid ergo, ut dixi, causæ est, ut non omnibus modis vel mala fugias, vel bona assequi velis? quid causæ est, quod hæc non agis? quid causæ est, ut bona æterna non emas? quid causæ est, ut mala æterna non timeas? quid utique? nisi illud, quod prælocutus sum, quod aut judicandum a Deo te esse non putas, aut resurrecturum omnino te esse non credis. Si enim crederes, quomodo non futuri judicij inæstimabile malum

fugeres, & immortalium suppliciorum tormenta vitares? Sed non credis utique, non credis, ac licet aliud & sermone asseras, & professione; non credis: sermo enim, & professio tua ja^ctitan fidem; sed vita, atque obitus publicant infidelitatem? Alioqui vince me; vinci volo.

Non qu^aero, ut mihi credulitatem tuam superioris vitæ actibus probes; uno contentus sum testimonio supremorum tuorum. Ecce jam, ecce morieris, egredius de domo corporis tui, nesciens, quo iturus, quo abjiciendus, ad quam pœnalia, & quam tetra rapiendus, cui unum tantummodo superest inter supra^mma perfugium, una effugiendi æterni ignis specula datur, ut pro te offeras saltem, quod in substantia habes: quia aliud, quod possis Deo offerre, jam non habes; & tu immemor tui, oblitus salutis tuæ, de legatariis novis cogitas, de locupletando hærede suspiras? Et hæc faciens, credere te judicium Dei dicis, qui tibi, cum judicandus sis, vel inter supra^mma non consulis? & cogitare te aliquid de salute animæ tuæ loqueris, cui nullus est, anima tua vilior, apud quem prope non interest, cui prosis, dummodo tibi noceas? & credere te futurum judicem dicis, apud quem nullus est minor, atque de spe-

spetior, quam Ipse judex? Nam in tantum eum spernis, in tantum eum despicias, ut nec tibimetipsi consulas, dummodo ejus jussa contemnas. Aut refelle me, & convince, si mentior. Clamat tibi ecce morienti ipse, qui te judicaturus est, judex tuus, ne ullum omnino hominum in prorogandis rebus, ac facultatibus tuis plus, quam te ames, ne ulli de substantia tua moriens magis, quam tibi consulas, nullum tibi anima tua propinquorem, nullum judices chariorem.

Quid enim proderit, inquit Salvator, homini, si lucretur mundum totum, & detrimentum faciat animæ suæ? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Hoc est dicere: Quid tibi, ô infelicissime homo! proderit, si omnem mundum aut ipse habeas, aut tuis proximis relinquas; si salutis, atque animæ detrimenta patiaris? Damna enim animæ totum penitus secum auferunt; nec quicquam homo omnino habere poterit, qui seipsum damno animæ pereuntis amittat. *Aut quam, inquit, homo commutationem dabit pro anima sua?* Hoc est dicere: Non respicias, ô homo! pecuniam, non possessionem, nec dubites, saltem moriens, pro spe tua, quantum potes, rei tuæ, ac facultatis offerre. Quicquidlibet enim

Mat. 16.

de-

dederis pro te , vile est ; quicquid pro te obtuleris , parvi pretii est : quia anima tua in omnium rerum est comparatione pretiosior. Et ideo nihil dubites pro te dare : quia , si te amiseris , omnia in te perdis ; si autem te lucrifeceris ; tecum & in te omnia possidebis.

Cum hæc ergo tibi jam morienti , ô homo ! quisquis es , Dominus tuus clamet ; tu mentem obduras , tu aurem obstruis , & nudis sermonibus fidem asserens , sufficere tibi putas verba pro rebus ; ac sati te firmum æstimas credulitatis habere subsidium , si Deum , quem rebus , atque operibus tuis despicias , verbis mendacibus honorare videaris ? *Fili* , inquit *Eccles. 14.* Scriptura sancta , si habes , benefac tecum , & Deo bonas oblationes offer . Et alibi : *Eccles. 30.* Miserere , inquit , animæ tuæ . Vide pietatem erga te Domini nostri , vide , quam misericors sit Dominus Deus noster , qui nos ipsos pro nobis misericordiam rogat . Miserere , inquit , animæ tuæ . Hoc est dicere : Miserere etiam tu illius , cuius vides miseratione me frangi ; miserere illius , illius tandem , cuius misereor , ego semper ; miserere tu animæ saltem tuæ , cum misereri me cernas alienæ . Et quid post hæc ? ô miserrime homo ! cum Deus sic tecum agat , non acquiescis ? Ro-

gat

gat te , ut tui miserearis , & non vis? causam tuam apud te agit , & a te non admittitur? dignatur te pro te petere , & a te non potest impetrare? Et quomodo , quisquis es , ô miserrime homo ! quomodo te postea supplicantem ille in judicio suo audiet , cum tu hic eum pro te rogantem audire ipse nolueris ?

Sed videlicet causa grandis est , qua Deum audire non possis ? Circumstant enim te ægrotantem cognati , atque agnati tui , circumstant locupletes matres familiæ , circumstant nobiles viri , obsidet lectum infirmitatis tuæ sericis , atque auratis vestibus circumfusa numerositas . O quantus fructus æternitatis est talibus bona propria erogare mendicis ! Digna videlicet causa , & satis justa est , ut tu animæ tuæ afferas , quod egenis talibus derelinquas . Sed nimirum misericordia frangeris , & lamentantium propinquorum pietate superarris ? Est certa ratio : vides quippe opulentissimi , ac splendidissimi cultus homines , tibi anxious , tibi flentes , tristi vultu , & festo habitu , compositas ad mœstitudinem facies tibi ostentantes , per imaginariam sollicitudinem suam ementes hæreditatem tuam . Quem non moveat tanta pietas , quem non moveat talis dolor ? aut quomodo , cum hæc talia videoas ; non obli-

obliviscaris tui? Vides enim extortas lachrymas, simulata suspiria, fictam anxietatem, non optantem, ut convalescas, sed expectantem, quando moriaris. Vides defixos in te, quasi accusantes tui obitus tarditatem, omnium vultus. O infelicem te, ac miserrimum, cuius supremum exitum tantus desiderat, ac precatur numerus propinquorum! nisi, quod scio, ac satis certus sum, nihil omnino apud Deum vota talium prævalere. Nam mirari possem forte, quod viveres, quem mori tam multi velint. Et propter hos, quisquis ille es, propter hos tales animam tuam deseris, & credere te judicium Dei dicis, cum ad hoc ejus iussa despicias, ut patrimonium tuum talibus derelinquas?

Psal. 111. *Dispersit*, inquit Propheta de eo, qui Deum credit, *dispersit*, *dedit pauperibus*, *justitia ejus manet in æternum*. Sed & *Lnc. 12.* Salvator ipse ad omnes divites: *Vendite*, inquit, *quæ possidetis*, & *date eleemosynam*. *Matt. 19.* Et alibi: *Vende*, *quæ habes*, & *da pauperibus*. Nunquid dicit, agnatis da, nunquid affinibus? non utique, sed pauperibus, sed egenis. Nunquid propinquo diviti, nunquid ulli omnino homini præpotenti? non utique; sed egenti, sed inopi, sed egestuoso. Et recte: nunquid enim cum locupletibus cognatis tuis substantiam tu-

tuam dederis, justitia tua manet in æternum? aut cum divitias eorum divitiis tuis auxeris, thesaurum habebis in cœlo? *Væ, 16. 5.*
 inquit Propheta, *bis*, *qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce.* Etiam laudari a te tales hos Deus prohibet, & tu ditare non metuis? dari his prædictoria verba non vult, & tu etiam talenta largiris? honorari vitam eorum fictis sermonibus vetat, & a te thesauri eorum, divitiæque cumulantur? Sed vereris videlicet vultus circumfidentium propinquorum, & præsentes, atque obſidentes lectulum tuum metuis offendere? *Ne metueris eos,* *Ezech. 1.*
 inquit Dominus per Prophetam, *neque pavetas a facie eorum, quoniam domus exasperans est.* Et ideo tu etiam esto intrepidus, & constans. Non formides vultus eorum, neque frangaris ambitu eorum. Despice concupiscentes hæreditatem tuam, & dividentes jam inter se substantiam tuam, qui non te, sed patrimonium tuum diligunt, immo, qui cupiditate rerum tuarum te execrantur. Nam dum tua impatienter sitiunt; te oderunt, præsentiamque tuam, quasi æmulam sibi, & adversariam judicantes, obicem, atque obstaculum putant cupiditatis suæ esse, quod vivis.



Despice ergo hos tales, ac nihil facito.
 Non te moveant blandimenta eorum: ve-
 nena tibi sunt; non respicias adulaciones eo-
 rum: gladii sunt jugulatores tui, & quidem
 ferreis, atque hostilibus gladiis tetrores. Il-
 los enim homines cuncti vident; istos incau-
 ti non vident. Illi, quia aperte saeviunt, evi-
 tantur; isti, quia occulte insidiantur, occi-
 dunt: & hoc periculosiores sunt, ac novo no-
 cendi genere pejores, quod illis ferreis gla-
 diis nemo est penitus, qui se laedi velit; istis
 multi se etiam occidi volunt. Nova, atque
 inestimabilis mali lethalis illecebra! Illis
 gladiis quicunque percutitur, & timore pa-
 riter, & dolore torquetur; istis quicunque
 occiditur, delectatur. Fuge ergo hoc ma-
 lum, fuge assentationes insidiantes tibi, fu-
 ge obsequelas noxias tibi, fuge ambitus de-
 ceptores tuos; ista sunt officia, quæ te ju-
 gulant, ista sunt, quæ in mortem trahunt.
 Fuge ergo talium blandimenta, fuge eorum
 sedulitatem: isti sunt carnifices, ac torto-
 res tui, qui te in præsenti quidem ambi-
 unt, sed in futuro necant, & consertis
 quodammodo manibus, ac velut conju-
 rati mutua factione in sempiternos tar-
 tari ignes cogere, ac præcipitare conan-
 tur. Et ideo non timeas eos, non expa-
 vescas; erige animum, & vim sanctæ
 auctoritatis assume. Si enim illi tanto-
 pe-

pere adnituntur, ut pereas; cur non maiore tu animo adnitaris, ut vivas? Confortare ergo, & constanti animo tibi consule. Satis infidelis, ac satis stultus est, qui mavult præstare aliis, ut sit miser, quam sibi, ut sit beatus; &, ut alios affluere faciat delitiis temporariis, se tradit urendum ignibus sempiternis.

FINIT LIBER TERTIUS.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

NON me præterit, Domina mi Ecclesia, nutrix beatæ spei, hæc, quæ libellis superioribus diximus, nonnullis filiis tuis, Christum parum amantibus, disciplere. Sed nos voluntates eorum non magni pendimus: quia nec mirum est, si eis loquentia de Deo verba non placeant; quibus ipse forsitan Deus non placet, nec expectandum, ut insinuatorem salutis, atque animarum sermonem ament, qui salutem ipsam, atque animas suas non amant. Sufficiunt itaque, sicut in aliis, ita etiam in hac parte, nobis sensus tantum, & judicia sanctorum; quibus idem æque apud nos sentientibus, certi profecto sumus, etiam Deum ipsum sentire no-

K . bi-

biscum : quia cum in sanctis suis spiritu
 Dei maneat ; absque dubio Deus illic est,
 ubi illa pars fuerit , a qua Dei spiritus non
 recedit. Pravorum ergo hominum , id
 est , paganorum , vel mundialium sensus
 aut parvi aestimandi sunt , aut nihili omni-
 no faciendi. *Quia , si hominibus ,* inquit
Gal. 1. Apostolus , *placere vellem , Christi servus*
non essem. Illud durius , ac molestius ,
 quod quidam , ut arbitror , filiorum tuo-
 rum sub religionis titulo a religione dis-
 sentiunt , & habitu magis seculum reli-
 quere , quam sensu: quorum , ni fallor ,
 sententia hoc habet , atque afferit : omni
 omnino homini Christiano propinquita-
 tem in exitu magis considerandam esse ,
 quam Christum. Et quia profana peni-
 tus per se erat , execrabilisque sententia ;
 velare , ut puto , infidelissimam prædica-
 tionem , quasi umbratili quadam adjectio-
 ne , conantur , dicentes : cunctos , qui cre-
 dunt Deum , sanos tantum , atque inco-
 lumes officiosos Christo esse debere , cæ-
 terum exeuntes jam a seculo , carnalis
 magis propinquitatis , quam Divini officii
 oportere meminisse. *Quasi vero homi-*
nies Christianos alios esse oporteat inco-
 lumes , alios de hoc seculo recedentes , &
 alios se cuncti exhibere Christo debeant
 in sospitate , alios in morte , alios in su-

periore vita, alios in posteriore. Quod si ita est; ergo alterum quis habiturus est Christum juvenis, alterum senex; & toties debent homines demutari fide, quoties demutantur ætate? Si enim erga Dei cultum alter quispiam futurus est vi-gens, alter infirmus, alter sanus, alter æ-grotans; ergo prout status fuerit humani corporis inæqualis, ita erit homini etiam Deus ipse mutabilis, & quoties fuerit in homine valetudo contraria, toties erit etiam religio diversa? Quasi vero, qui incolumes Christi esse debent, morientes Christi esse non debeant. Et ubi illud est: *Qui perseveraverit in finem, hic sal-vus erit?* Aut illud in proverbiis sacris Divini sermonis oraculum: *Sapientia in exitu canitur?* Quo utique ostenditur, licet salubris sit in omni ætate sapientia; præcipue tamen omnes in exitu suo de-bere esse sapientes: quia laudari penitus anteactæ ætatis prudentia non merebitur, nisi bono fine claudatur. Sapientia enim in exitu canitur. Sufficit, inquit pesti-lens prædicatio, sufficit præteritum opus homini, etiamsi in fine nihil faciat. Ego multo plus addo; aut non minus eis, si potest, morte vicina, aut certe plus mul-to esse faciendum. Primum, quia de bo-no opere nihil nimis est. Deinde, quod

Matt. 10. 22.

ad tribunal Dei pergens , magis placare judicem debet, quasi jam in judicio constitutus. Postremo, quod, si aliqua ante exitum bona fecit ; multo magis facere jam in exitu suo debet, ne deterior scilicet superioribus vitæ actibus finis esse videatur. Si autem bonis operibus parum studuit ; multo utique magis facere eum vel in exitu suo convenit, ut, quod vita anteriore non reddidit , saltem in extremitate persolvat ; & qui ex hoc reus est, quod ante neglexit ; vel per hoc excusari aliquatenus Domino suo possit , quod præteritam inhumanitatem ultima saltem devotione compenset. Sed ad superiora redeamus.

Sapientia, inquit sermo Divinus, *in exitu canitur*. Cur eam non dixit cani in pueritia, non in juventute, non in statu rerum incolumium, non in prosperitatibus secundorum ? scilicet, quia in his omnibus quicquid laudatur, incertum est. Quamdiu enim quis subjacet mutationi, non potest cum securitate laudari : & ideo, ut ait : *Sapientia in exitu canitur*. Exiens enim quis de incertis periculorum, certum merebitur evasa omnium rerum varietate suffragium: quia tunc stabilis, & firma laus est, quando meritum jam non potest perire laudati. *Sapientia*, inquit,

quit, *in exitu canitur.* Quid est, quæso, sapientia Christiani? Quid? nisi timor, & amor Christi. *Initium enim,* inquit, *sapientiæ timor Domini.* Et alibi: *Perfecta,* inquit, *dilectio foras mittit timorem.* Ergo, ut videmus, initium sapientiæ est in timore Christi, perfectio in amore. Itaque, si sapientia Christiani timor est, atque amor Domini; ita demum vere sapientes sumus, si Deum semper, ac super omnia diligamus; & hoc cum omni tempore, tum præcipue *in exitu nostro:* quia sapientia in exitu canitur. Si ergo sapientia per hoc maxime in exitu canitur, si Deus super omnia diligatur; quæ igitur insania est, ut dicat aliquis: Christum carnali propinguitati præponi ab incolumibus oportere, a morientibus non debere? Cur enim eum præferant incolumes, si non debent præferre morientes? Aut si potest quispiam religiose agnatos, atque affines suos Christo in morte præponere; cur non religiose etiam ante præponebat? Aut si est ulla hora in vita ultima, qua quis plus alios diligere debeat, quam seipsum, & Deum; cur non & in vita anteriore plus diligit? Ac sic fit, ut solvantur omnia, & evanescant, & intereant, neque ullum quis viliorem habeat, quam seipsum, neque ullum in-

feriorem, quam Deum. Si enim ullum est tempus, quo ab aliquo possit Deus affinibus, aut propinguis jure postponi; nullum est, quo possit jure præponi. Sin autem, quod verum est, nullum est omnino tempus, quo non debeat anteponi; nullum est omnino tempus, quo possit jure postponi; nullum utique, & ideo, ne in extremitis quidem: quia etiam justum hominem Propheta in die, qua erraverit, dicit esse peritum.

Itaque si omnis error errantis perditione multatur, & his quoque erroribus vita hominum periclitatur, quibus usitate, atque communiter innocentia humana polluitur; quid futurum existimamus, ubi in Deum ipsum detestabili infidelitate peccatur? Si enim, inquit Apostolus, omnis inobedientia justam accipit mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Nullus autem salutem veram plus negligit, quam, qui Deo aliquid anteponit. Cum enim salus nostra, munus, ac misericordia Dei sit; quæ ei ratio consequendæ salutis est, qui Deum ipsum despicit, in cuius misericordia salus nostra consistit? Aut cum judex & vivorum sit Deus, & mortuorum; quæ ei spes in Dei judicio esse poterit, qui eum etiam moriens judicio suo spre-

spreverit, a quo est statim mortuus judicandus? Et ideo, ut Scriptura Divina ait, in quo judicio judicat, in eo judicabitur de eo. Hoc est: quo judicio judicat de Deo, eo ipse judicabitur a Deo. Neque iniquum putare poterit, si eum cunctis in futuro Dominus postposuerit; qui in praesenti Deum cunctis ipse postponit, nec queri potest, si eum omnibus Deus aestimet damnabiliorem; cum ipse omnibus Deum aestimet viliorem.

Matt. 7.

Sed dicit aliquis, non se hoc animo ista facere, quo aut contemnat Deum, aut vilem putet; sed quo vel amet eos, quos haeredes instituit, vel honoret. Acquiescamus hoc ita esse; omnibus ferme etiam aliis flagitiosissimis, & criminofissimis reis excusatio ista suppetit. Nam dicere & fornicatoribus licet, non se hoc animo fornicari, quod Deum spernant; sed quia calore corporis, atque infirmitate vincantur. Et homicidae id affirmare possunt, non se contemptu Dei humum sanguinem fundere, vel odio; sed cupiditate tantum scelera praestare. Sed quid prodest malis haec excusatio: cum scilicet nihil intersit, qua se quispiam dicat peccare causa, cum sit omne peccatum Divinitatis injuria? Acquiescamus tamen, ut supra dixi, hoc ita esse, nec

ex contemptu Dei res suas quempiam alii magis, quam Deo tradere; sed vel honore hæredis sui se ad hoc trahi, vel certe amore compelli. Sed quid facimus, quod hoc ipso magis incuria Dei probatur, atque contemptus? Si enim, ô quisquis es ille! per id, quod hæredibus tuis, vel quibuscumque res proprias derelinquis, & honorare te eos indicas, & amare; Deum utique, cui non relinquis, nec honorare te indicas, nec amare. Ac per hoc quicquid pro te dixeris, contra te est; & ad contemptum, atque ad contumeliam Dei pertinet amor, & honorificentia cæterorum. Cum enim aliis ideo relinquas, quia eos honoras; Deum, cui non relinquis, utique non honoras: cum aliis ideo relinquas multa; quoniam amas Deo ideo non relinquis profecto, quia non amas. Ecce enim afflxit tibi morienti, atque testanti homo pariter, ac Deus, res aperta est, & non dubia; quem elegiris, prætulisti. Si in uno est honor solo; necesse est, in alio inveniatur esse despectio. Si homo, qui præfertur, gaudet se a te diligi; necesse est, ut se doleat Deus, qui prætermittitur, non amari.

Sed putas, Deum videlicet munificencia hominis non egere; & ideo, quid necesse est, inquis, ab homine ei quippiam tri-

tribui, qui ipse cuncta omnibus dedit? Utrum egeat munificentia nostra Dominus, an non egeat, aut quomodo vel egeat, vel non egeat; jam videbimus. Interim, quia ab eo cunctis cuncta praestari, etiam tu negare non ausus es, hoc dignior est absque dubio largitate nostra, quia nobis ipse ante largitus est; hoc iustius ei officiis respondere tentamus, quo beneficiis illius magis impares sumus. Nam & natura ipsa hominum, consuetudoque communis hac, quasi generali, cunctos lege constringit, ut, a quibus aliquid liberalitatis accepimus, plus eis gratiae debeamus: arctat quippe nos ad retributionem dati, accepta largitio. Ante usum enim, ac munificentiam liberalitatis alienæ liber est quispiam, beneficiorum fœnore non gravatus; coguntur autem omnes ipsa conscientia sua ad repensationem vi. issitudinis, postquam esse cœperint debitores. Ita ergo & Deo hoc majora debemus, quod ab eo cuncta percepimus, & hoc respondere beneficiis illius minus possumus, quod ei etiamsi, quod debemus, redhibere cupiamus; tamen de suo reddimus. Ac per hoc non est, quod placere sibi quispiam largitione sua debeat. Sicut sua non sunt cuncta, quæ a Domino suo accipit; sic sua non sunt cuncta, quæ

reddit. Et ideo perfidiae quidem pœna debetur ei, qui negaverit Deo, quæ sunt sibi ab eodem commodata; imputare autem largitionem non potest, qui reddiderit accepta.

Sed Deus, inquis, non eget retributio[n]e? Nihil minus, quam, ut non egeat. Non eget enim juxta potentiam suam; sed eget juxta præceptionem suam: non eget secundum majestatem suam; sed eget secundum legem suam, & in se ipso quidem non eget, sed in multis eget: non quærerit in se munificentiam; sed in suis quærit. Et ideo non eget quidem juxta omnipotentiam; sed eget juxta misericordiam: non eget Deitate pro semetipso, sed eget pietate pro nobis. Quid enim dicit ad pios,

Matt. 25. ac largos dispensatores Deus? *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sativi, & dedistis mihi bibere.* Et alia in hunc modum. Et ne hoc causæ, de qua nunc loquimur, parum forsitan videatur; adjecit rerum diversitatem, avaris, & infidelibus dicens: *Ite maledicti in ignem æternum, quem paravit Pater meus diabolo, & angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare; sativi, & non dedistis mihi bibere: nudus fui, & non operuistis me.* Ubi ergo illi sunt, qui di-

dicunt Dominum Jesum Christum officio nostrorum munerum non egere? Ecce & esurire se pariter, & sitire, & algere commemorat. Respondeat quilibet horum, si non eget, qui esurire se queritur? si non eget, qui se sitire testatur? Ego plus addo aliquid: Christum non solum egere cum cæteris, sed plus multo egere, quam cæteros. In omni enim pauperum numero non est universorum una paupertas. Sunt enim quidam, quibus etiam si vestimenta desunt; alimenta non desunt: multi sunt hospitio egentes, vestibus non egentes; multi domo carentes, sed non substantia; sunt denique, quibus etsi desint multa, non desunt omnia. Christus tantummodo solus est, cui nihil est, quod in omni humano genere non desit. Nullus suorum exulat, nullus frigore, ac nuditate torquetur; cum quo ille non algeat. Solus cum esurientibus esurit, solus cum sitiensibus sitit. Et ideo, quantum ad pietatem illius pertinet; plus, quam cæteri eget: omnis enim egestuosus pro se tantum, & in se eget; solus tantummodo Christus est, qui in omnium pauperum universitate mendicet.

Et cum hæc ita sint; quid ais, ô homo! qui Christianum te esse dicis? cum Christum egere videoas; tu facultates tuas
qui.

quibuscunque, non indigentibus, derelin-
quis? Christus pauper est, & tu opes di-
vitum cumulas? Christus esurit, & tu
delicias affluentibus paras? Christus etiam
aquam sibi deesse queritur, & a te apo-
thecæ ebriosorum vino replentur? Chri-
stus rerum omnium egestate conficitur,
& a te luxuriosis copiæ congregantur?
Christus tibi pro muneribus a te datis
præmia sempiterna promittit, & tu nil
præstaturis cuncta largiris? Christus tibi,
& pro nobis bona immortalia, & pro ma-
lis mala æterna proponit; & tu nec bo-
nis cœlestibus flecteris, nec malis peren-
nibus commoveris? Et credere te Domi-
no tuo dicis, cuius nec remunerationem
desideras, nec iracundiam contremiscis?
Non credis igitur, sicut jam diximus li-
bro superiore, non credis; ac licet de
conversorum venerabili choro esse videa-
ris, licet religionem vestibus simules, li-
cet fidem cingulo asseras, licet sanctita-
tem pallio mentiaris; non credis omnino,
non credis: & hoc tam viris istiusmodi,
quam fæminis dixi, non credunt. Induat
sibi, quamvis quilibet habitum sancti no-
minis, & titulum sacræ religionis inscri-
bat; si de substantia sua aliis magis, quam
sibi consulit, profecto non credit. Ne-
mo est enim credens, qui facultates suas

ali-

aliis prodesse malit, quam sibi; nemo est, qui beatitudinem aliis miseria sua emere contentus sit; nemo est, qui, ut aliis pareret delicias temporarias, subire egestates cupiat sempiternas. Et ideo, qui patrimonio suo aliis magis, quam sibi consulit; profutura sibi, quæ Dco dederit, omnino esse non credit.

Dicat enim mihi quilibet horum, cur facultates suas aliis derelinquit? nunc quid non ideo, quia profuturas, cui reliquerit, esse non ambigit? ideo absque dubio. Igitur, quicunque ille es, si ea, quæ aliis relinquis, ideo relinquis, quia profutura ei, cui reliqueris, certus es; sic profecto, si quæcunque religiosis muneribus prorogasses, profutura esse tibi crederes; tibi absque dubio peculiariter deputares: quia quanto te plus amas, quam eos, quibus relinquis; tanto magis tibi relinqueres, si profutura ea tibimet, vel tenui opiniacula, judicares. Non enim te odisti, ut prodesse tibi nolis; sed quæ pauperibus dereliqueris, profutura tibi esse non credis, & inde est, quod aliis magis, quam tibi consulis, quia profutrum tibi opus religiosum esse non credis. Sicut credis itaque, sic recipies. Tu Salvatorem perparvi pendis; & te Salvator nihil. Tu Christum postponis aliis; & te omni-

omnibus Christus. Tibi in comparatione etiam hominum perditorum vilis est Dominus; & tu eris inter periturorum ultimos deputandus. Sed blandiris tibi forsitan, ut jam ante dixi, aliquo religiosæ professionis intuitu? magis es debitor: quia proposito sanctitatis majora promittis, & ideo plus tolerabis supplicii, quia minus *Luc. 12.* solveris sponsionis. *Servus enim*, inquit sermo Divinus, *qui nescit voluntatem domini sui, & non facit eam, vapulabit paucis; qui autem scit, & non facit eam, vapulabit multis.* Et tu, specie professionis, grandia specie polliceris, & rebus nulla restituvis. Falsarii criminis reus es, Deo cuncta mentiris. Nec immerito sacer sermo judicium de templo Dei *¶ Petr. 4.* incipiendum esset testatur. *Judicium enim*, inquit, *de domo Domini.* Alibi quoque: *¶ Ezec. 9.* *A sanctis, inquit, meis incipite.* Sed ad superiora redeamus.

Ite, inquit avaris, atque incredulis Deus, ite in ignem æternum, quem paravit Pater meus diabolo, & angelis ejus. At liberandum te ab hoc malo quibusdam forsitan bonis corporalibus putas: pudicitiam quippe amasse te jactas? Sed memento, quia & illos, quos in Evangelio immortalibus poenis Salvator tradidit, impudicitiae non notavit. Sobrieta-

tem

tem tibimet placuisse commemoras? nec illi, de quibus Scriptura loquitur, ebrietatis crimine puniuntur. Jejunasse te dicens? nec illos prandia reos esse fecerunt. Sed videlicet magna causa est, qua tibi abstinentia, ac jejunio tuo placeas: qui ad hoc jejunasti, ad hoc parce, exiliterque vixisti, non ut post mortem tuam egenos facultatibus tuis pasceres, sed ut censum cujuscunque hæredis divitiis ampliares? magnos videlicet abstinentiæ fructus capis. Minus enim panis tu manducasti, ut auri aliis plus haberet. Tibi venter frugalitate decrevit, ut cujuscunque hominis fortasse vitiosi thesaurus cresceret. Cum ergo ad judicium Dei veneris; jure imputare ei jejunium tuum poteris, dicens: Jejunavi Domine, & abstinui, ac diu me ab omnium deliciarum fruge suspendi. Et res hoc probat: ecce enim nunc hæredes mei de meo affluunt, immensarum divitarum copiis exabundant. Et; ut aliquid etiam de Evangelica lectione præsumas, hoc, quod Salvator dixit de perditissimo illo divite, potes & tu forsitan de hæredibus tuis dicere: Indumentur purpura, & bysso, & epulantur quotidie splendide, incubant defossis a me talentis, premunt argenti, & auri congestras strues, materiam quoque his voluptatum

tum omnium præparavi , distenduntur delitiis a me relictis. Ego diu abstinui , ut nunc illi ebriarentur. Crapula est illorum , frugalitas mea. Natant tricliniorum redundantium pavimenta vino , falso nobili lutum faciunt; mensæ eorum , ac toremata mero jugiter madent , semper uda sunt. Luxuriant in peristromatis , quæ ego feci , fornicantur in servicis , quæ reliqui. Et cum hæc omnia pro te dixeris , quomodo non æternam a Christo remunerationem mereri poteris , cui in talibus sanctis tantarum delitiarum copiam præpararis? O quanto melius , quæcunque illa es , quanto melius , & salubrius pauper fueras , & egestuosa , quam dives! Paupertas enim te Deo insinuare potuisset ; divitiae ream esse fecerunt. Rectius ergo per indigentiam salva fueras , quam per opes tuas & te , & alios prægravasses ; te scilicet , dum male aliis relinquis ; alios dum a te relicta , & ipsi usu inhumanissimo male possident , & post se male aliis derelinquunt.

Si vis ergo , quæcunque illa es , si vis tibi esse consultum , si vis æternam habere vitam , & cupis videre dies bonos ; relinque substantiam tuam indigentibus sanctis , relinque claudis , relinque cœcis , relinque languentibus ; sint facultates tuæ ali-

alimenta miserorum , sit opulentia tua pauperum vita ; ut illorum refrigeria præmia tua sint , ut illorum refectio te reficiat . Si enim illi de tuo edent ; tu saturaberis : si illi de tuo biberint ; tu sitis tuæ æstum , ardoremque restinguas : te illorum vestitus vestiet , te illorum apricitas delectabit . Non ergo vile , ac despiciabile putas , si substantiam tuam miseris , atque egentibus derelinquas ; Christum in illis facies hæredem . Et quid dicam de Christi nomine ? Christum quidem hæredem facies ; sed tu hæreditatis emolumenta percipies . Quæcunque enim Christo reliqueris , per Christum omnia possidebis .

Sed hæc tu , ut reor , frivola esse iudicas , & quasi somnia quædam , ac deliramenta contemnis . Non enim credis Christum vera dixisse . Et res probat , nequaquam te ei credere . Nam qui mandata ejus nec in postremis facis ; aut nulla esse omnino æstimas , aut falsa esse condemnas . In quo quidem lugere omnes sanctos , ac flere convenit , nulli te , & alios tui similes , nulli minus , quam Christo credere . Si tibi quicunque ex cauponibus quid promitteret ; fidem promittenti non abnegares . Si mutuum a te quippiam propola , aut salgamentarius postularet ;

redditurum eum non diffideres, quæ dedisses. Mendacibus denique interdum, atque perjuris, cautione facta, & dato fidejussore, res creditur; Christus tibi & fidelissimam cautionem, & fidejussores optimos dedit: cautionem scilicet in Evangelio, fidejussores Apostolos suos, & si id parum est, Patriarchas, Prophetas, Martyres suos, totam denique Divinarum literarum seriem; & non credis ei, nec fidem commodas? Quem, rogo, tam prodigum inter homines, ac tam miserum invenire possis, cui fidem sub tot fidejussoribus denegares? Das itaque res tuas divitibus, & egenis negas, das luxuriosis, & negas sanctis: das cuicunque fortasse perdit, & negas Christo. Prout ergo judicasti, sic judicaberis: sicut elegeris, sic recipies. Non habebis cum Christo partem, quem despexisti; cum his habebis, quos ei prætulisti.

Sed dicit fortasse aliquis ex infidelium numero: non dignam esse causam, quæ vel Deum moveat, vel homines in æternum periculum trahat. Scio quidem, quod omnes rei veniabiles putant semper reatus suos. Nam & furta furibus leves culpæ sunt, & innocua ebriosis videtur ebrietas, & apud impudicos fornicatio scelus non est: quia nullum omnino tam gran-

grande crimen est, quod non, cuius facinore committitur, ejus sententia sublevetur. Sed, si quis vult ex peccatoribus scire, quam graviter censenda a Deo sint magna crimina; discat, qualiter in semet-ipsis puniant sancti etiam levia peccata, consciī scilicet jam ex ipsius Dei dictis futuri examinis, ac per Domini sui verba etiam judicia rimantes, & ideo semper in Dei opere, semper in compunctione, semper in cruce positi. Beati, qui, cum omnium misereantur; sibi nunquam penitus ignoscunt, in nullo sibi parcentes, sed totos se admodum Deo impendentes, & ideo in futuro judicio digni præmio, quia hic apud se jugiter in reatu. Nam de misericordia eorum, ac largitate quid dicam? quæ virtus apud eos quasi virtutum omnium initiatrix est. Plerique enim eorum hæc habent, quasi exordia, & quasi incunabula conversionis suæ, ut, priusquam limen sanctæ professionis introciant, de propriis sibi facultatibus nihil relinquant, secundum illud scilicet Domini nostri dictum, quo ait: *Vende omnia bona tua,* Matth. 19. *& da pauperibus, & veni, sequere me.* Et illi itaque secuturi vocantem Deum, prius vendunt omnia, quam sequantur. Divitias enim onerum, atque impedimentorum loco esse ducentes, expeditos se

non putant, ad sequendum Deum, nisi omnia prius carnalium sarcinarum impedimenta projecerint; simul, ut, more hominum commigrantium, prius ad locum habitaculi destinati res suas transferant, quam seipso: scilicet, ut, cum ea universa, quæ ad se pertinent, transtulerint; tunc ipsi in plenam, ac refertam bonis immortaliibus domum, præmissa rerum omnium facultate, commigrent; securi absque dubio, nihil sibi postea defuturum, qui exituri de habitaculo vili, & contemptibili, ac jam, jamque ruituro, nihil illic de suo penitus reliquerint, quod periret. Hæc ergo sanctorum spes, hæc fiducia est. Sic sibi opulenta rerum transmissione prospiciunt, ut æternis immortalium facultatum copiis perfruantur.

Cæterum tu, quicunque ille es, aut quæcunque, quæ animæ tuæ, ac salutis oblita, ipsa te resculis tuis spolias, quomodo in futuro, quasi condita, ac parata reperies, quæ hic aut non indigentibus, aut etiam abundantibus deputaris? Quomodo reddenda tibi a Deo credis, quæ Deo ipse non credis? Postremo, quomodo reddi vis, quæ credere non vis? Nemo enim sibi solvi vult, quæ non commodat; nec tam stultus est, ut, quæ non fœneraverit, putet

ter esse reddenda. Et ideo tu nequam a Deo quasi reddendum sperare poteris, quod, Deo utique non credens, reddere tibi Deum ipse nolueris. Unde compleatur dictum in te Divinum illud, *Psal. 41.*
 necesse est: *Quia reliquisti aliis, vel alicnis divitias tuas; sepulchrum tuum erit domus tua in æternum.* Et illud, quod Salvator ad similem tui loquitur: *Quia Apoc. 3.*
tepidus es, & neque servens, neque frigidus; incipiam te evomere ex ore meo. Et illud dicis: Dives sum, & divitias habeo, & nullius egeo; & ne scis, quia tu es miser, & pauper, & cœcus, & nudus? Nemo itaque sibi in vita, in morte, in actu, in dono, in testamento suo hominem Deo præferens, de vitæ, ac professionis prærogativa aliquid blandiatur. Pœnalis est homini, ac perniciosa ista securitas, præsumptæ spes, sarcinæ sunt reatus: usurpata absolutio damnationem parit. *Quicunque sibi se excusat, accusat Deo, secundum illud: Nam qui se existimat esse Gal. 6.*
aliquid, cum nihil sit; seipsum seducit. Nemini itaque facilis sua causa sit: nullus difficilius evadit, quam qui se evasurum esse præsumpsérunt.

Dura hæc forsitan, atque austera videantur? quidni? *Omnis enim disci-* *Hebr. 12.*
 L 3 pli-

plina, ut ait sermo Divinus, *non est gaudii, sed mœroris*. Dura hæc, & austera sunt: sed quid facimus? non licet rerum mutare naturas; & enuntiari aliter veritas non potest, quam vis ipsa exigit veritatis. Dura hæc quidam putant, scio, & satis certus sum; sed quid facimus? nisi duris, non itur ad ^{Matth. 7.} regnum. *Arcta enim, inquit Dominus, & angusta via est, quæ dicit ad vitam.* Et Apostolus: *Existimo, inquit, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Indignum esse ad futuræ gloriæ comparationem omne opus dicit humanum. Et ideo nihil durum, aut austерum Christianis videri debet: quia quantilibet pro sempiterna beatitudine Christo offerant; vile est, quod datur, ubi tam grande est, quod accipitur. Nihil magnum in terris ab homine Deo solvitur, ubi, quod est in cœlo, maximum comparatur. Durum est ^{Pid. f. lib.} ^{1. de G.} avaris, ut largiantur sua. Quid mirum? totum durum est, quicquid imperatur invitis. Pene omnis sermo Divinus habet æmulos suos. Quot genera præceptorum sunt, tot adversariorum. Si largitatem esse in hominibus jubet Dominus,

nus; avarus irascitur: si parsimoniam exigit; prodigus execratur: sermones sacros improbi hostes suos ducunt: horrent raptiores, quicquid de justitia scribitur: horrent superbi, quicquid de humilitate mandatur: adversantur ebriosi, ubi sobrietas indicitur: detestantur impudici, ubi castitas imperatur. Aut nihil ergo dicendum est, aut, quicquid dictum fuerit, cuicunque supradictorum hominum displicebit. Mavult quilibet improbus execrari legem, quam emendare mentem: mavult pracepta odisse, quam vitia. Inter haec, quid agant, quibus loquendi a Christo officia mandantur? Deo displicent, si tacent: hominibus, si loquuntur. Sed, ut Judæis Apostoli responderunt, expedit magis Deo obediere, quam hominibus. Do tamen consilium omnibus, quibus gravis, & onerosa est lex Dei, si accipere non recusant, quemadmodum placere eis possint, quæ Deus præcipit. Cuncti enim, qui oderunt mandatum sacrum, causam odii in seipsis habent. Omne fastidium non in praceptis est legis, sed in moribus suis. Lex quippe bona est, sed mores mali. Ac per hoc mutent homines propositum, & affectum suum. Si enim mores suos probabiles esse fecerint; nihil

eis ex eo, quod lex bona præcipit, displacebit. Quando enim bonus quis esse cœperit, non potest non diligere legem Dei: quia hoc intra se habet lex Dei sancta, quod sancti homines in moribus. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu tuo. Amen.

FINIT LIBER Quartus.



V I N C E N T I I

L I R I N N E N S I S


C O M M O N I T O R I U M .

GENNADIUS MASSILIENSIS

in Catalogo virorum illustrium.

V incentius, natione Gallus, apud monasterium in Lirinensi insula Presbyter, vir in scripturis sanctis doctus, & notitia ecclesiasticorum dogmatum sufficenter instructus, composuit ad evertenda hæreticorum collegia nitido, & aper-to sermone validissimam disputationem, quam absconso nomine suo intitulavit **PEREGRINI ADVERSUM HÆRETICOS:** cuius operis, quia secundi libri maximam in schedulis partem, a quibusdam furatam, perdidit; recapitulato ejus paucis sermonibus sensu, primo compegit, & in librum unum edidit. Moritur Theodosio, & Valentiniano regnantibus.

Vide epistolam Eucherii ad Salonium,
inter elogia Salviani.



*Incipit tractatus Peregrini pro Catholicæ
fidei antiquitate, & universitate ad-
versus profanas omnium novitates
bæreticorum.*



Icente Scriptura, & monente:
Interroga Patres tuos, & Deut. 32.
dicent tibi, seniores tuos,
& annuntiabunt tibi. Et
item: *Verbis sapientium* Ecccl. 6.

accommoda aurem tuam. Et item: *Fili* Prov. 4.
mi, hos sermones ne obliviscaris, mea & 7.
autem verba custodiat cor tuum, videtur
mihi minimo omnium servorum Dei Pe-
regrino, quod res non minimæ utilitatis Do-
mino adjuvante futura sit, si ea, quæ fide-
liter a sanctis Patribus accepi, literis com-
prehendam, infirmitati certe propriæ per-
necessaria: quippe cum adsit in promptu,
unde imbecillitas memoriæ meæ assidua
lectione reparetur. Ad quod me nego-
tium non solum fructus operis, sed etiam
consideratio temporis, & opportunitas lo-
ci adhortatur. Tempus propterea, quod,
cum ab eo omnia humana rapiantur; &
nos ex eo aliquid invicem rapere debemus,
quod

quod in vitam proficiat æternam; præser-
tim cum & appropinquantis Divini ju-
dicii terribilis quædam expectatio au-
geri efflagitet studia religionis, & no-
vorum hæreticorum fraudulentia mul-
tum curæ, & attentionis indicat. Locus
autem: quod urbium frequentiam, tur-
basque vitantes, remotioris villulæ, &
in ea secretum monasterii incolamus ha-
bitaculum, ubi absque magna distractione
fieri possit illud, quod canitur in psalmo:
*Vacate, inquit, & videte, quoniam ego
sum Deus.* Sed & propositi nostri ratio
in id convenit. Quippe, qui, cum ali-
quandiu variis, ac tristibus secularis mili-
tiæ turbinibus volveremur; tandem nos in
portum religionis, cunctis semper fidissi-
mum, Christo aspirante condidimus: ut
ibi depositis vanitatis, ac superbiæ flati-
bus, Christianæ humilitatis sacrificio pla-
cantes Deum, non solum præsentis vitæ
naufragia, sed etiam futuri seculi incendia
vitare possimus. Sed jam in nomine Do-
mini, quod instat, aggrediar, ut scilicet
a majoribus tradita, & apud nos deposita
scribam relatoris fide potius, quam aucto-
ris præsumptione; hac tamen scribendi
lege servata, ut nequaquam omnia, sed
tantum necessaria quæque perstringam,
neque id ornato, & exacto, sed facili com-

mu-

munque sermone ; ut pleraque significata potius, quam explicata videantur. Scribant ii laute, & accurate, qui ad hoc munus vel ingenii fiducia, vel officii ratione ducuntur. Me vero sublevandæ recordationis, vel potius oblivionis meæ gratia Commonitorium mihi met parasse suffecerit ; quod tamen paulatim, recolendo, quæ didici, emendare, & implere quotidie, Domino præstante, conabor. Atque hoc ipsum idcirco præmonui, ut, si forte elapsum nobis, in manus sanctorum devenerit ; nihil in eo temere reprehendant, quod adhuc videant promissa emendatione limandum.

Sæpe igitur magno studio, & summa attentione perquirens a quamplurimis sanctitate, & doctrina præstantibus viris, quoniam modo possim certa quadam, & quasi generali, ac regulari via Catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ pravitatis falsitate discernere ? hujusmodi semper respondsum ab omnibus fere retuli, quod sive ego, sive quis alias vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, & in fide sana sanus, atque integer permanere ; dupli modo munire fidem suam, Domino adjuvante, debet. Primo scilicet Divinæ legis auctoritate ; tum deinde Ecclesiæ catholicæ traditione.

Hic

Hic forsitan requirat aliquis: Cum sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis, superque sufficiat; quid opus est, ut ei Ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno, eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter, atque aliter aliis, atque aliis interpretatur; ut pene, quot homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videantur. Aliter namque ille Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit: aliter Arrius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priscillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Celestius, aliter postremo Nestorius. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos, tam varii erroris anfractus, ut Propheticæ, & Apostolicæ interpretationis linea secundum Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur. In ipsa item Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim vere, proprieque Catholicum (quod ipsa vis nominis, ratioque declarat) quod omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur

autem universitatem hoc modo , si hanc unam fidem veram esse fateamur , quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia ; antiquitatem vero ita , si ab his sensibus nullatenus recedamus , quos sanctos majores , ac Patres nostros celebrasse manifestum est , confessionem quoque itidem , si in ipsa vetustate , omnium vel certe penae omnium sacerdotum pariter , & magistrorum definitiones , sententiasque se-temur.

Quid igitur tunc faciet Christianus Catholicus , si se aliqua Ecclesiæ particula ab universalis fidei communione præciderit ? quid utique , nisi ut pestifero , corruptoque membro sanitatem universi corporis anteponat ? Quid si novella aliqua contagio non jam portiunculam tantum , sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur ? Tunc item providebit , ut antiquitati inhæreat , quæ prorsum jam non potest ab ulla novitatis fraude seduci . Quid si in ipsa vetustate duorum , aut trium hominum , vel certe civitatis unius , aut etiam provinciæ alicujus error deprehendatur ? Tunc omnino curabit , ut paucorum temeritati , vel inscientiæ , si qua sunt , universaliter antiquitus universalis Ecclesiæ decreta præponat . Quid si tale aliquid emergat , ubi nihil huiusmodi reperiatur ?

Tunc

Tunc operam dabit, ut collatas inter se majorum consulat, interrogetque sententias eorum duntaxat, qui diversis licet temporibus, & locis, in unius tamen Ecclesiæ Catholicæ communione, & fide permanentes, magistri probabiles extiterunt; & quicquid non unus, aut duo tantum, sed omnes pariter uno, eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit; id sibi quoque intelligat, absque ulla dubitatione credendum. Sed ut planiora fiant, quæ dicimus, exemplis singillatim illustranda sunt, & paulo uberius exageranda: ne immodicæ brevitatis studio, rerum pondera orationis celeritate rapiantur.

Tempore Donati, a quo Donatistæ, cum sese multa pars Africæ in erroris sui furias præcipitaret, cumque immemor nominis, religionis, professionis unius hominis sacrilegam temeritatem Ecclesiæ Christi præponeret; tunc quicunque per Africam constituti, profano schismate detestato, universis mundi Ecclesiis aſſociati sunt, soli ex illis omnibus intra sacra-ria Catholicæ fidei salvi esse potuerunt; egregiam profecto relinquentes posteris formam, quemadmodum ſcilicet deinceps bono more unius, aut certe paucorum

vesaniæ universorum sanitas anteferretur. Item quando Arrianorum venenum non jam portiunculam quandam, sed pene orbem totum contaminaverat, adeo, ut, prope cunctis Latini sermonis Episcopis partim vi, partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur, quidnam potissimum in tanta rerum confusione sequendum foret; tunc quisquis verus Christi amator, & cultor exstitit, antiquam fidem novellæ perfidiae præferendo, nulla contagii ipsius peste maculatus est. Cujus quidem temporis periculo satis, superque monstratum est, quantum invehatur calamitatis novelli dogmatis inductione. Tunc siquidem non solum parvæ res, sed etiam maximæ labefactatae sunt. Nec enim tantum affinitates, cognationes, amicitiæ, domus; verum etiam urbes, populi, provinciæ, nationes, universum postremo Romanum Imperium funditus concussum, & emotum est. Namque cum profana ipsa Arrianorum novitas, velut quædam Bellona, aut Furia, capto primo omnium Imperatore, cuncta deinde palatii culmina legibus novis subjugasset; nequaquam deinceps destitit universa miscere, atque vexare, privata, ac publica, sacra, profanaque omnia; nullum boni, & veri gerere discripen, sed quoscunq;

collibusset tanquam de loco superiore percutere. Tunc temeratae conjuges, depullatae viduae, profanatae virgines, monasteria demolita, disturbati Clerici, verberati Levitæ, acti in exilium Sacerdotes, oppleta sanctis ergastula, carceres, metalla: quorum pars maxima, interdictis urbibus, protrusi, atque extorres inter deserta, speluncas, feras, saxa nuditate, fame, siti affecti, contriti, & tabefacti sunt. Atque hæc omnia nunquid ullam aliam ob causam, nisi utique, dum pro cœlesti dogmate humanæ superstitiones introducuntur? dum bene fundata antiquitas scelestæ novitate subruitur? dum superiorum instituta violentur? dum rescinduntur scita Patrum? dum conveliuntur definita majorum? dum sese intra sacratae, atque incorruptæ vetustatis castissimos limites profanæ, ac novellæ curiositatis libido non continet?

Sed forsitan odio novitatis, & amore vetustatis hæc fingimus? Quisquis hoc aestimat, beato saltem credat Ambrosio, qui in secundo ad Imperatorem Gratianum libro, acerbitatatem temporis ipse deplorans ait: *Sed jam satis, inquit, omnipotens Deus! nostro exitio, nostroque sanguine Confessorum neces, exilia Sacerdotum, & nefas tantæ impietatis eluimus.*

*Ambros.
lib. 2. de
fide c. 8.*

mus. Satis claruit, eos, qui violaverint fidem, tutos esse non posse. Item in tertio ejusdem operis libro: *Servemus igitur, inquit, præcepta majorum, nec hæreditaria signacula ausi ruditatem temeritate violemus.* Librum signatum illum Propheticum non seniores, non potestates, non Angeli, non Archangeli aperire ausi sunt: soli Christo explanandi ejus prærogativa servata est. Librum sacerdotalem quis nostrum resignare audeat, signatum a Confessoribus, & multorum jam martyrio consecratum? quem, qui resignare coacti sunt, postea tamen damnata fraude signarunt; qui violare non ausi sunt, Confessores, & Martyres extiterunt. Quomodo fidem eorum possimus denegare, quorum victoriam prædicamus? Prædicamus plane, inquam, ô Vanerande Ambroſi, prædicamus plane, laudantesque miramur. Nam quis ille tam demens est, qui eos, et si affequi non valeat, non exoptet sequi? quos a defensione fidei majorum nulla vis depulit, non minæ, non blandimenta, non vita, non mors, non palatiū, non satellites, non Imperator, non Imperium, non homines, non dæmones; quos, inquam pro religioſæ vetustatis tenacitate tanto munere Dominus dignos judicavit, ut per eos prostratas

restauraret Ecclesias, extintos spiritales populos vivificaret, dejectas Sacerdotum coronas reponeret, nefarias illas novellæ impietatis non literas, sed lituras, infuso cœlitus Episcopis fidelium lachrymarum fonte deleret, universum postremo jam pene mundum, sæva repentinæ hæreseos tempestate perculsum, ad antiquam fidem a novella perfidia, ad antiquam sanitatem a novitatis vesania, ad antiquam lucem a novitatis cœcitate revocaret?

Sed in hac Divina quadam Confessorum virtute illud est etiam nobis vel maxime considerandum, quod tunc apud ipsam Ecclesiæ vetustatem non partis aliquujus, sed universitatis ab iis est suscepta defensio. Neque enim fas erat, ut tanti, ac tales viri unius, aut duorum hominum errabundas, sibique ipsis contrarias suspiciones tam magno molimine affererent, aut vero pro alicujus provinciolæ temeraria quadam conspiratione certarent; sed omnium sanctæ Ecclesiæ Sacerdotum Apostolicæ, & Catholicæ veritatis hæreduin decreta, & definita sedantes, maluerunt semetipsos, quam vetustæ universitatis fidem prodere. Unde & ad tantam gloriam pervenire meruerunt, ut non solum Confessores, verum etiam Confessorum principes jure, meritoque habeantur.

Ma-

Magnum hoc igitur eorundem beatorum exemplum, planeque Divinum, & veris quibusque Catholicis indefessa meditatio ne recolendum, qui in modum septemplicis candelabri septena sancti Spiritus luce radiantes, clarissimam posteris formulam præmonstrarunt, quoniam modo deinceps per singula quæque errorum vaniloquia sacratæ vetustatis auctoritate profanæ novitatis conteratur audacia. Neque hoc sane novum: si quidem mos iste semper in Ecclesia viguit, ut, quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus plena sunt omnia; sed ne longum fiat, unum aliquod, & hoc ab Apostolica potissimum sede sumemus, ut omnes luce clarius videant, Beatorum Apostolorum beata successio quanta vi semper, quanto studio, quanta contentione defenderit susceptæ semel religionis integritatem.

Quondam igitur venerabilis memoriarum Agrippinus Carthaginensis Episcopus, primus omnium mortalium contra Divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium Confessorum, contra morem, atque instituta majorum, rebaptizandum esse censebat. Quæ præsumptio tantum mali invexit, ut

non solum hæreticis omnibus formans
sacrilegii , sed etiam quibusdam ca-
tholicis occasionem præbuerit erroris.
Cum ergo undique ad novitatem rei eun-
cti reclamarent , atque omnes quaqua ver-
sum Sacerdotes pro suo quisque studio
retinerentur ; tunc beatæ memorię Papa
Stephanus Apostolicæ sedis Antistes cum
cæteris quidem collegis suis , sed tamen
præ cæteris restitit , dignum , ut opinor , exi-
stimus , si reliquos omnes tantum fidei de-
votione vinceret , quantum loci auctori-
tate superabat . Denique in epistola , quæ
tunc ad Africam missa est , his verbis fan-
xit : NIHIL NOVANDUM , NISI , QUOD TRA-
DITUM EST . Intelligebat etenim vir san-
ctus , & prudens , nihil aliud rationem
pietatis admittere , nisi , ut omnia , qua
fide a Patribus suscepta forent , eadem fi-
de filiis consignarentur ; nosque religio-
nem , non qua vellemus , ducere , sed po-
tius , qua illa duceret , sequi oportere ;
idque esse proprium Christianæ modestiæ ,
& gravitatis , non sua posteris tradere ,
sed a majoribus accepta servare . Quis
ergo tunc universi negotii exitus ? quis
utique , nisi usitatus , & solitus ? Retenta
est scilicet antiquitas , explosa novitas .
Sed forte tunc ipsi novitiae adinventioni
patrocinia defuerunt ? Immo vero tanta
vis

vis ingenii adfuit, tanta eloquentiae flu-
mina, tantus assertorum numerus, tanta
veri similitudo, tanta Divinæ legis oracu-
la, sed plane novo, ac malo more intel-
lecta, ut mihi omnis illa conspiratio nul-
lo modo destrui potuisse videatur, nisi
sola, tanti moliminis causa, ipsa illa susce-
pta, ipsa defensa, ipsa laudata novitatis
professio destituisset. Quid postremo
ipsius Africani Concilii, sive decreti, quæ
vires? donante Deo, nullæ; sed univer-
sa, tanquam somnia, tanquam fabulæ,
tanquam superflua, abolita, antiquata,
calcata sunt. Et, ò rerum mira conver-
sio! autores ejusdem opinionis Catholi-
ci, consecratores vero hæretici judicantur;
absolvuntur magistri, condemnantur di-
scipuli, conscriptores librorum, filii regni
erunt; assertores vero gehenna suscipiet.
Nam quis ille tam demens est, qui illud
sanctorum omnium & Episcoporum, &
Martyrum lumen, Beatissimum Cypria-
num, cum cæteris collegis suis in æter-
num dubitet regnaturum esse cum Chri-
sto? Aut quis tam sacrilegus, qui Dona-
tistas, & cæteras pestes, quæ illius auto-
ritate Concilii rebaptizare se jactitant, in
sempiternum neget arsuros esse cum dia-
bolo? Quod quidem mihi Divinitus vi-
detur promulgatum esse judicium propter

eorum maxime fraudulentiam, qui, cum
sub alieno nomine hæresim concinnare
machinentur; captant plerumque veteris
cujuspiam viri scripta paulo involutius
edita, quæ pro ipsa sui obscuritate dog-
mati suo quasi congruant; ut illud, nescio
quid, quodcunque proferunt, neque primi,
neque soli sentire videantur. Quorum ego
nequitiam dupli odio dignam judico: vel
eo, quod hæreseos venenum propinare
aliis non pertimescunt; vel eo etiam,
quod sancti cujusque viri memoriam tan-
quam sopitos jam cineres profana ma-
nu ventilant, &, quæ silentio sepeliri
oportebat, rediviva opinione diffamant;
sequentes omnino vestigia auctoris sui
Cos. p. Cham, qui nuditatem venerandi Noë
non modo operire neglexit, verum quo-
que irridendam cæteris enuntiavit. Un-
de tantam læsæ pietatis meruit offensam,
ut etiam posteri ipsius peccati sui male-
dictis obligarentur; beatis illis fratribus
multum, longeque dissimilis, qui nudita-
tem ipsam reverendi Patris neque suis
temerare oculis, neque alienis patere vo-
luerunt; sed aversi, ut scribitur, texe-
runt eum. Quod est, erratum sancti viri
nec approbasse, nec prodidisse: atque id-
circo beata in posteros benedictione do-
nati sunt. Sed ad propositum redeamus.

Magno igitur metu nobis mutatæ fidei, ac temeritatæ religionis piaculum per timescendum est; a quo nos non solum constitutionis Ecclesiasticæ disciplina, sed etiam censura Apostolicæ deterret auctoritatis. Scitum enim cunctis est, quam graviter, quam severe, quam vehementer invehatur in quosdam Beatus Apostolus Paulus, qui mira levitate nimium ci-^{Gal. 1.}
to translati fuerant ab eo, qui eos voca-
verat in gratiam Christi, in aliud Evan-
gelium, quod non est aliud; qui coacer-^{2. Tim. 4.}
varant sibi magistros ad sua desideria, a
veritate quidem auditum avertentes; con-
versi vero ad fabulas, habentes damnationem, quod primam fidem irritam fe-
cissent; quos deceperant ii, de quibus ad
Romanos fratres scribit idem Apostolus:
Rogo autem vos, fratres, ut observetis ^{Rom. 16.}
eos, qui dissensiones, & offendicula p̄ræ-
ter doctrinam, quam ipsi didicistis faci-
unt, & declinate ab illis. Hujusmodi enim
Christo Domino non serviunt, sed suo ven-
tri, & per dulces sermones, & benedictio-
nes seducunt corda innocentium. Qui in- ^{2. Tim. 3.}
trant per domos, & captivas ducunt mu-
llierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur
variis desideriis; semper discentes, & ad
scientiam veritatis nunquam pervenientes.
Vaniloquentes, & seductores, qui universas ^{Tim. 1.}

*domos subvertunt, docentes, quæ non oportet, turpis lucri gratia. Homines corrupti mente, reprobi circa fidem: superbi, & nihil scientes, sed languentes circa quæstiones, & pugnas verborum; qui veritatem privati sunt, existimantes quæstum esse pietatem, simul autem & otiosi discunt circumire domos; non solum autem otiosi, sed & verbosi, & curiosi, loquentes, quæ non oportet: Qui, bonam conscientiam repellentes, circa fidem naufragaverunt: quorum profana vaniloquia multum proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit. Bene autem, quod de iis item scribitur: *Sed ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.**

Cum ergo tales quidam, circumeuntes provincias, & civitates, atque errores venalitios circumferendo, etiam ad Galatas devenissent, cumque, his auditis, Galatæ nausea quadam veritatis affecti, Apostolicæ, Catholicæque doctrinæ manna revomentes, hæreticæ novitatis foribus oblectarentur; ita sese Apostolicæ potestatis exeruit auctoritas, ut summa cum severitate decerneret: *Sed licet nos, inquit, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam, quod evangelizavimus vobis; anathema sit.* Quid est, quod ait,

ait: *Sed licet nos?* cur non potius: *Sed licet ego?* Hoc est: Etiamsi Petrus, etiamsi Andreas, etiamsi Joannes, etiamsi postremo omnis Apostolorum chorus evangelizet vobis præterquam, quod evangelizavimus; anathema sit. Tremenda districcio! propter afferendam primæ fidei tenacitatem, nec sibi, nec cæteris Coapostolis pepercisse. Parum est: *Etiamsi Angelus*, inquit, *de cœlo evangelizet vobis præterquam, quod evangelizavimus; anathema sit.* Non sufficerat ad custodiam traditæ semel fidei, humanæ conditionis commémorasse naturam, nisi angelicam quoque excellentiam comprehendisset. *Licet nos*, inquit, *aut Angelus de cœlo.* Non, quia sancti, cœlestesque Angeli peccare jam possint; sed hoc est, quod dicit: Si etiam, inquit, fiat, quod non potest fieri; quisquis ille traditam semel fidem mutare tentaverit, anathema sit. Sed hæc forsitan perfunctorie prælocutus est, & humano potius effudit impetu, quam Divina ratione decrevit? Absit: sequitur enim, & hoc ipsum ingenti molimine iteratæ insinuationis inculcat: *Sicut prædiximus, inquit, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præterquam, quod accepistis; anathema sit.* Non dixit: Si quis vobis annuntiaverit

præ-

præterquam, quod accepistis; benedictus sit, laudetur, recipiatur; sed, *anathema sit*, inquit, id est, separatus, segregatus, exclusus: ne unius ovis dirum contagium innoxium gregem Christi venenata per mixtione contaminet.

Sed forsitan Galatis ista tantum præcepta sunt? Ergo & illa solis Galatis imperata sunt, quæ in ejusdem epistolæ sequentibus commemorantur, qualia sunt hæc: *Si vivimus spiritu, spiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes, & reliqua?* Quod si absurdum est, & omnibus ex æquo imperata sunt; restat, ut, sicut hæc morum mandata, ita etiam illa, quæ de fide cauta sunt, omnes pari modo comprehendant: & sicuti nemini licet invicem provocare, aut invidere invicem; ita nemini liceat præter id, quod Ecclesia Catholica usque quaque evangelizat, accipere. Aut forsitan tunc jubeatur, si quis annuntiasset præterquam, quod annuntiatum fuerat, anathematizari, nunc vero jam non jubetur? Ergo & illud, quod item ibi ait: *Dico autem, spiritu ambulate, & desiderium carnis non perficietis*, tunc tantum jubeatur, modo vero jam non jubetur? Quod si impium pariter, & per-

niciosum est, ita credere; necessario sequitur, ut, sicut hæc cunctis æstatibus observanda sunt, ita illa quoque, quæ de non mutanda fide sancta sunt; cunctis æstatibus imperata sint. Annuntiare ergo aliquid Christianis Catholicis, præter id, quod acceperunt, nunquam licuit, nusquam licet, nunquam licebit; & anathematizare eos, qui annuntiant aliquid præterquam, quod semel acceptum est, nunquam non oportuit, nusquam non oportet, nunquam non oportebit.

Quæ cum ita sint; estne aliquis vel tantæ audaciæ, qui præter id, quod apud Ecclesiam annuntiatum est, annuntiet; vel tantæ levitatis, qui præter id, quod ab Ecclesia accepit, accipiat? Clamat, & repetendo clamat, & omnibus, & semper, & ubique per literas suas clamat ille, ille vas electionis, ille magister gentium, ille Apostolorum tuba, ille terrarum præco, ille cœlorum conscius, ut, si quis novum dogma annuntiaverit; anathematizetur; & contra reclamant ranæ quædam, & cyniphes, & muscæ morituræ, quales sunt Pelagiani? & hoc Catholicis? Nobis, inquiunt, auctoribus, nobis principibus, nobis expositoribus, damnate, quæ tenebatis, tenete, quæ damnabatis, rejicite antiquam fidem; & paterna instituta,

majorum deposita recipite. Quænam illa tandem? Horreο dicere: sunt enim tam superba, ut mihi non modo affirmari, sed ne refelli quidem sine aliquo piaculo posse videantur.

Sed dicet aliquis: Cur ergo persæpe Divinitus finuntur excellentes quædam personæ in Ecclesia constitutæ res novas Catholicis annuntiare? Recta interrogatio, & digna, quæ diligentius, atque uberior pertractetur; cui tamen non ingenio proprio, sed Divinæ legis auctoritate, Ecclesiastici magisterii documento, satisfaciendum est. Audiamus ergo Sanctum Moysen, & ipse nos doceat, cur docti viri, & qui propter scientiæ gratiam ab Apostolo etiam Prophetæ nuncupantur, proferre interdum permittantur nova dogmata, quæ vetus testamentum allegorico sermone Deos alienos appellare consuevit, eo, quod scilicet ita ab hæreticis ipsorum opiniones, sicut a gentibus Dii sui, observentur. Scribit ergo in Deuteronomio Beatus Moyses:

Deut. 13. Si surrexerit, inquit, in medio tui Prophetæ, aut, qui somnum vidisse se dicat, Id est: magister in Ecclesia constitutus, quem discipuli, vel auditores sui ex aliqua revelatione dicere arbitrentur; quid deinde? Et prædixerit, inquit, signum,

at-

atque portentum, & evenerit, quod locutus est (Magnus profecto, nescio quis, signatur magister, & tantæ scientiæ, qui sectatoribus propriis non solum, quæ humana sunt, nosse, verum etiam, quæ supra hominem sunt, prænoscere posse videatur; quales fere discipuli sui jactitant fuisse Valentimum, Donatum, Photinum, Apollinarem, cæterosque ejusmodi) quid postea? *Et dixerit, inquit, tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis* (Qui sunt Dii alieni, nisi errores extranei, quos ignorabas, id est, novi, & inauditi? *Et serviamus eis, id est, credamus eis, sequamur eos*) Quid ad extremum? Non audies, inquit, verba Prophetæ illius, aut somniatoris. Et quare, oro te, a Deo non prohibetur doceri, quod a Deo prohibetur audiri? Quia, inquit, tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non in toto corde, & in tota anima vestra? Luce clarius aperta causa est, cur interdum Divina providentia quosdam Ecclesiarum magistros nova quædam dogmata prædicare patiatur. Ut tentet vos, inquit, Dominus Deus vester. Et profecto magna tentatio est, cum ille, quem tu Prophetam, quem Prophetarum discipulum, quem doctorem, & assertorem ve-

ritatis putas, quem summa veneratione,
& amore complexus sis; is subito latenter
noxios subinducat errores, quos nec cito
deprehendere valeas, dum antiqui magi-
sterii duceris præjudicio, nec facile da-
mnare fas ducas, dum magistri veteris
præpediris affectu.

Hic forsitan efflagitet aliquis, ut ea,
quæ sancti Moysi verbis asserta sunt, Ec-
clesiasticis aliquibus demonstrentur exem-
plis? Aequa expostulatio, nec diu diffe-
renda. Nam ut a proximis, & manifestis
incipiam, qualem fuisse nuper tentatio-
nem putamus, cum infelix ille Nestorius,
subito ex ove conversus in lupum, gre-
gem Christi lacerare cœpisset? cum eum
hi ipsi, qui rodebantur, ex magna adhuc
parte ovem crederent, ideoque morsibus
ejus magis paterent? Nam quis eum fa-
cile errare arbitraretur, quem tanto Im-
perii judicio electum, tanto Sacerdotum
studio prosecutum videret? qui, cum ma-
gno sanctorum amore, summo populi fa-
vore celebraretur; quotidie palam Divi-
na tractabat eloquia, & noxios quosque
Judæorum, & Gentilium confutabat er-
rores? Quo tandem iste modo non cui-
vis fidem faceret, se recta docere, recta
prædicare, recta sentire, qui, ut uni hæ-
resi suæ aditum patefaceret, cunctarum

hæ-

hæreſeon blasphemias insectabatur? Sed hoc erat illud, quod Moyses ait: *Tentat vos Dominus Deus vester, si diligatis eum, an non?* Et ut Nestorium prætereamus, in quo plus semper admirationis, quam utilitatis, plus famæ, quam experientiæ fuit, quem opinione vulgi aliquan- diu magnum humana magis fecerat gra- tia, quam Divina; eos potius commemo- remus, qui multis profectibus, multaque industria prædicti, non parvæ temptationi Catholicis hominibus extiterunt. Velut apud Pannonias majorum memoria Photinus Ecclesiam Sirmitanam tentasse me- moratur: ubi, cum magnō omnium favo- re in sacerdotium fuisset adscitus, & ali- quandiu tanquam Catholicus administra- ret; subito, sicut malus ille Propheta, aut somniator, quem Moyses significat, creditam sibi plebem Dei persuadere cæ- pit, ut sequeretur Deos alienos, id est, errores extraneos, quos antea nesciebat. Sed hoc usitatum; illud vero pernicio- sum, quod ad tantum nefas non medio- cribus adminiculis utebatur. Nam erat & ingenii viribus valens, & doctrinæ opi- bus excellens, & eloquio præpotens: quip- pe, qui utroque sermone copiose, & gra- viter disputaret, & scriberet, quod monu- mentis librorum suorum manifestatur;

quos idem partim Græco , partim Latino sermone composuit. Sed bene , quod commissæ ipsi oves Christi multum pro Catholica fide vigilantes , & cautæ , cito ad præmonentis Moysi eloquia respexerunt , & Prophetæ , atque pastoris sui , licet admirarentur eloquentiam , tentationem tamen non ignorarunt. Nam quem antea quasi arietem gregis sequebantur , eundem deinceps veluti lupum fugere cœperunt.

Neque solum Photini , sed etiam Apollinaris exemplo istius Ecclesiasticæ temptationis periculum discimus , & simul ad observandæ diligentius fidei custodiam commonemur. Etenim ipse auditoribus suis magnos æstus , & magnas generavit angustias : quippe cum eos huc Ecclesiæ traheret auctoritas , huc magistri retraheret consuetuodo ; cumque inter utraque nutabundi , & fluctuantes , quid potius sibi feligendum foret , non expedirent. Sed forsitan ejusmodi ille vir erat , qui dignus esset facile contemni? Immo vero tantus , ac talis , cui nimium cito in plurimis crederetur : nam quid illo præstantius acumine , exercitatione , doctrina ? Quam multas ille hæreses multis voluminibus oppresserit , quot inimicos fidei confutaverit errores ; indicio est opus illud

triginta non minus librorum nobilissimum, ac maximum, quo insanias Porphyrii calumnias magna probationum mole confudit. Longum est universa ipsius opera commemorare; quibus profecto summis ædificatoribus Ecclesiæ par esse potuisset, nisi profana illa hæreticæ curiositatis libidine novum, nescio quid, advenisset, quo & cunctos labores suos, vclut cujuspiam lepræ admixtione fœderet, & committeret, ut doctrina ejus non tam ædificatio, quam tentatio potius Ecclesiastica diceretur.

Hic a me forsitan depositatur, ut horum, quos supra commemoravi, hæreses exponam, Nestorii scilicet, Apollinaris, & Photini? Hoc quidem ad rem, de qua nunc agimus, non attinet. Propositum etenim nobis est, non singulorum errores persequi, sed paucorum exempla proferre, quibus evidenter, ac perspicue demonstretur illud, quod Moyses ait, quia scilicet, si quando Ecclesiasticus aliquis magister, & ipse interpretandis Prophetarum mysteriis Propheta, novi quiddam in Ecclesiam Dei tentet inducere, ad temptationem id nostram fieri providentia Divina patiatur. Utile igitur fuerit in excursu, quid supra memorati hæretici sentiant, breviter

exponere, id est, Photinus, Apollinaris,
Nestorius.

Photini ergo secta hæc est: dicit Deum singulum esse, & solitarium, & more Judaico confitendum. Trinitatis plenitudinem negat, neque ullam Dei Verbi, aut ullam Spiritus sancti putat esse personam. Christum vero hominem tantummodo solitarium asserit, cui principium adscribit ex Maria; & hoc omnimodis dogmatizat, solam nos personam Dei Patris, & solum Christum hominem colere debere. Hæc ergo Photinus. Apollinaris vero in unitate quidem Trinitatis quasi consentire se jactitat, & hoc ipsum non plena fidei sanitatem, sed in Domini incarnatione aperta professione blasphemat. Dicit enim, in ipsa Salvatoris nostri carne aut animam humanam penitus non fuisse, aut certe talem fuisse, cui mens, & ratio non esset. Sed & ipsam Domini carnem non de sanctæ Virginis Mariæ carne susceptam, sed de coelo in Virginem descendisse dicebat, eamque nutabundus semper, & dubius modo coæternam Deo Verbo, modo de Verbi Divinitate factam prædicabat. Nolebat enim in Christo esse duas substantias, unam Divinam, alteram humanam, unam ex Patre, alteram ex Matre; sed ipsam Ver-

Verbi naturam putabat esse discissam, quasi aliud ejus permaneret in Deo, aliud vero versum fuisset in carnem, ut, cum Veritas dicat, ex duabus substantiis unum esse Christum; ille contrarius veritati ex una Christi Divinitate duas afferat esse substancias. Hæc itaque Apollinaris.

Nestorius autem contrario Apollinari morbo, dum sese duas in Christo substancias distinguere simulat; duas introducit repente personas, & inaudito scelere duos esse vult filios Dei, duos Christos; unum Deum, alterum hominem; unum, qui ex Patre, alterum, qui sit generatus ex Matre. Atque ideo afferit, sanctam Mariam non Theotocon, sed Christotocon esse dicendam: quia scilicet ex ea non ille Christus, qui Deus, sed ille, qui erat homo, natus sit. Quod si quis eum putat in literis suis unum Christum dicere, & unam Christi prædicare personam; non temere credat. Aut enim istud fallendi arte machinatus est, ut per bona facilius suaderet & mala, sicut ait Apostolus: *Per bonum mihi operatus est mortem;* aut Rom. 7. ergo, ut diximus, fraudulentiae causa quibusdam in locis scriptorum suorum unum Christum, & unam Christi personam credere se jactitat, aut certe post partum jam Virginis ita in unum Christum duas

perhibet convenisse personas, ut tamen conceptus, seu partus Virginei tempore, & aliquanto postea, duos Christos suisse contendat: ut cum scilicet Christus homo communis primum, & solitarius natus sit, & ne cdum Dei Verbo personæ unitate sociatus, postea in eum assumens Verbi persona descenderit, & licet nunc in Dei gloria maneat assumptus; aliquandiu tamen nihil inter illum, & cæteros homines interfuisse videatur. Hæc ergo Nestorius, Apollinaris, Photinus aduersus Catholicam fidem rabidi canes latrant; Photinus, Trinitatem non confitendo; Apollinaris, convertibilem Verbi dicendo naturam, & duas in Christo substantias non confitendo, & aut totam Christi animam, aut certe mentem, atque rationem in anima denegando, & asserendo, pro sensu mentis suisse Dei Verbum; Nestorius, duos Christos aut semper esse, aut aliquamdiu suisse asseverando. Ecclesia vero Catholica & de Deo, & de Salvatore nostro recta sentiens, nec in Trinitatis mysterium, nec in Christi incarnationem blasphemat. Nam & unam Divinitatem in Trinitatis plenitudine, & Trinitatis æqualitatem in una, atque eadem Majestate veneratur, & unum Christum Jesum, non duos, eundemque Deum

pariter, atque hominem confitetur. Unam quidem in eo personam, sed duas substantias; duas substantias, sed unam credit esse personam; duas substantias: quia mutabili non est Verbum Dei, ut ipsum verteretur in carnem; unam personam: ne duos profitendo filios, quaternitatem videatur colere, non Trinitatem.

Sed operæ pretium est, ut id ipsum etiam, atque etiam distinctius, & expressius enucleemus. In Deo una substantia, sed tres personæ; in Christo duæ substantiæ, sed una persona. In Trinitate aliis, atque aliis, non aliud atque aliud; in Salvatore aliud, atque aliud, non aliis, atque aliis. Quomodo in Trinitate aliis, atque aliis, non aliud, atque aliud? Quia scilicet alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti; sed tamen Patris, & Filii, & Spiritus sancti non alia, & alia, sed una, eademque natura. Quomodo in Salvatore aliud, atque aliud, non aliis, atque aliis? Quia videlicet altera substantia Divinitatis, altera humanitatis; sed tamen Deitas, & humanitas non alter, & alter, sed unus, idemque Christus, unus, idemque Filius Dei, & unius, ejusdemque Christi, & Filii Dei una, eademque persona: sicut in homine aliud caro, & aliud anima; sed unus, idemque homo anima,

& caro. In Petro, & Paulo aliud anima, aliud caro; nec tamen duo, Petri caro, & anima, aut alter Paulus, anima, & alter, caro; sed unus, idemque Petrus, unus, idemque Paulus, ex duplice, diversaque subsistens animi, corporisque natura. Ita igitur in uno, eodemque Christo duæ substantiæ sunt; sed una Divina, altera humana; una ex Patre Deo, altera ex Matre Virgine, una coæterna, & æqualis Patri, altera ex tempore, & minor Patre; una consubstantialis Patri, altera consubstantialis Matri; unus tamen, idemque Christus in utraque substantia. Non ergo alter Christus, Deus, alter homo; non alter, increatus, alter, creatus; non alter, impassibilis, alter, passibilis; non alter, æqualis Patri, alter, minor Patre; non alter, ex Patre, alter, ex Matre; sed unus, idemque Christus, Deus, & homo; idem, non creatus, & creatus; idem, incommutabilis, & impassibilis; idem, commutatus, & passus; idem, Patri & æqualis, & minor; idem, ex Patre ante secula genitus, idem, in seculo ex Matre generatus; perfectus Deus, perfectus homo. In Deo summa Divinitas, in homine plena humanitas. Plena, inquam, humanitas: quippe, quæ animam simul habeat, & carnem, sed carnem veram, nostram, maternam; animam vero

in-

intellectu præditam, mente, ac ratione pollentem. Est ergo in Christo Verbum, anima, caro; sed hoc totum unus est Christus, unus Filius Dei, & unus Salvator, ac Redemptor noster. Unus autem, non corruptibili, nescio, qua Divinitatis, & humanitatis confusione, sed integra, & singulari quadam unitate personæ. Neque enim illa conjunctio alterum in alterum convertit, atque mutavit (qui est error proprius Arrianorum) sed ita in unum potius utrumque compegit, ut, manente semper in Christo singularitate unius, ejusdemque personæ, in æternum quoque permaneat proprietas uniuscujusque naturæ: quo scilicet nec unquam Deus corpus esse incipiat, nec aliquando corpus, corpus esse desistat.

Quod etiam humanæ conditionis demonstratur exemplo. Neque enim in præsenti tantum, sed in futuro quoque unusquisque hominum ex anima constabit, & corpore; nec tamen unquam aut corpus in animam, aut anima vertetur in corpus, sed, unoquoque hominum sine fine viecturo, in unoquoque hominum sine fine necessario utriusque substantiæ differentia permanebit. Ita in Christo quoque utriusque substantiæ sua cuique in æternum

N 5 pro-



proprietas, salva tamen personæ unitate,
retinenda est.

Sed cum personam sæpius nominamus,
& dicimus, quod Deus per personam ho-
mo factus sit; vehementer verendum est,
ne hoc dicere videamur, quod Deus Ver-
bum sola imitatione actionis, quæ sunt
nostra, susceperit, &, quidquid illud est
conversationis humanæ, quasi adumbra-
tus, non quasi verus homo fecerit; sicut
in theatris fieri solet, ubi unus plures
effingit repente personas, quarum ipse
nulla est. Quotiescunque etenim aliqua
suscipitur immitatio actionis alienæ; ita
aliorum officia, aut opera patrantur, ut
tamen hi, qui agunt, non sint ipsi, quos
agunt. Neque enim (ut verbi gratia
secularium, & Manichæorum utamur
exemplis) cum actor tragicus Sacerdo-
tem effingit, aut Regem; Sacerdos aut
Rex est. Nam desinente actu, simul &
ea, quam susceperat, persona desistit. Ab-
sist hoc a nobis nefarium, scelestumque
Iudibrium! Manichæorum sit ista demen-
tia, qui phantasiæ prædicatores, ajunt,
Filium Dei Deum, personam hominis,
non substantiæ exstитisse, sed actu puta-
tivo quodam, & conversatione simulasse.
Catholica vero fides ita Verbum Dei, ho-
minem factum esse dicit, ut, quæ nostra
sunt,

sunt, non fallaciter, & adumbrate, sed vere expresseque susciperet, & quæ erant humana, non quasi aliena imitaretur, sed potius ut sua gereret, & prorsus, quod agebat, hoc etiam esset. Sicut ipsi nos quoque in eo, quod loquimur, sapimus, vivimus, subsistimus, non imitamur homines, sed sumus. Neque enim Petrus, & Joannes, ut eos potissimum nominem, imitando erant homines, sed subsistendo. Neque item Paulus simulabat Apostolum, aut fingebat Paulum; sed erat Apostolus, & subsistebat Paulus. Ita etiam Deus Verbum, assumendo, & habendo carnem, loquendo, faciendo, patiendo per carnem, sine ulla tamen suæ corruptione naturæ, hoc omnino præstare dignatus est, ut hominem perfectum non imitaretur, aut fingeret, sed exhiberet; ut homo verus non videretur, aut putaretur, sed esset, atque subsisteret. Igitur sicut anima connecta carni, nec in carnem tamen versa, non imitatur hominem, sed est homo, & homo non per simulationem, sed per substantiam, ita etiam Verbum Deus, absque ulla sui conversione, uniendo se homini, non confundendo, non imitando, factus est homo, sed subsistendo.

Abjiciatur ergo tota penitus personæ illius intelligentia, quæ fingendo imita-

tio-

tione suscipitur, ubi semper aliud est, & aliud simulatur, ubi ille, qui agit, nunquam is est, quem agit. Absit etenim, ut hoc fallaci modo Deus Verbum personam hominis suscepisse credatur; sed ita potius, ut incommutabili sua manente substantia, & in se perfecti hominis suscipiendo naturam, ipse caro, ipse homo, ipse persona hominis existeret, non simulatoria, sed vera, non imitativa, sed substantiva, non denique, quæ cum actione desisteret, sed, quæ prorsus in substantia permaneret. Hæc igitur in Christo personæ unitas nequaquam post Virginis partum, sed in ipso Virginis utero compacta, atque perfecta est. Vehementer enim præcavere debemus, ut Christum non modo unum, sed etiam semper unum confiteamur: quia intolleranda blasphemia est, ut, etiamsi nunc eum unum jam esse concedas; aliquando tamen non unum, sed duos fuisse, contendas, unum scilicet post tempus baptismatis; duos vero sub tempore nativitatis. Quod immensum sacrilegium non aliter profecto vitare poterimus; nisi unitum hominem Deo, sed unitate personæ, non ab ascensu, vel resurrectione, vel baptismo, sed jam in Matre, jam in utero, jam denique in ipsa Virginali con-

ceptione fateamur : propter quam personæ unitatem indifferenter , atque promiscue , & quæ Dei sunt propria , tribuntur homini , & quæ carnis propria , adscribuntur Deo. Inde est enim , quod Divinus scriptum est , & filium hominis descendisse de cœlo , & Dominum majestatis crucifixum in terra. Inde etiam est , Ioann. 3. 1. Cor. 15. ut carne Domini facta , carne Domini creata , ipsum Verbum Dei factum , ipsa sapientia Dei impleta , scientia creata dicitur ; sicut in præsentia manus ipsius , & pedes ejus fossi esse referuntur. Per hanc , inquam , personæ unitatem , illud quoque similis mysterii ratione perfectum est , ut carne Verbi ex integra Matre nascente , ipse Deus Verbum natus ex Virgine catholicissime credatur , impiissime denegetur.

Quæ cum ita sint , absit , ut quisquam sanctam Mariam Divinæ gratiæ privilegiis , & speciali gloria fraudare conetur : est enim singulari quodam Domini , ac Dei nostri , filii autem sui munere verissime , ac beatissime Theotocos confitenda. Sed non eo modo Theotocos , quo impia quædam hæresis suspicatur , quæ afferit , eam Dei Matrem sola appellatione dicendam , quod eum scilicet peperit hominem , qui postea factus est Deus ; sicut dicimus Presbyteri

Matrem, aut Episcopi Matrem, non jam Presbyterum, aut Episcopum pariendo, sed eum generando hominem, qui postea Presbyter, vel Episcopus factus est. Non ita, inquam, sancta Maria Theotocos, sed ideo potius, quoniam, ut supra dictum est, jam in ejus sacrato utero sacrosanctum illud Mysterium perpetratum est, quod propter singularem quandam, atque unicam personæ unitatem, sicut Verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus est.

Sed jam ea, quæ supra de memoratis hæresibus, vel de Catholica fide breviter dicta sunt, renovandæ causa memoriæ, brevius, strictiusque repetamus: quo scilicet, & intelligantur iterata plenius, & firmius inculcata teneantur. Anathema igitur Photino, non recipienti plenitudinem Trinitatis, & Christum hominem tantummodo solitarium prædicanti. Anathema Apollinari, afferenti in Christo conversæ Divinitatis corruptionem, & auferenti perfectæ humanitatis proprietatem. Anathema Nestorio, neganti ex Virgine Deum natum, afferenti duos Christos, & explosa Trinitatis fide, quaternitatem nobis introducenti. Beata vero Catholica Ecclesia! quæ unum Deum in Trinitatis plenitudine, & item Trinitatis æqualitatem in una Divinitate veneratur; ut neque sin-

singularis substantiæ personarum confundat proprietatem, neque item Trinitatis distinctio unitatem separet Deitatis. Beata, inquam, Ecclesia! quæ in Christo duas veras, perfectasque substancialias, sed unam Christi credit esse personam, ut neque naturarum distinctio unitatem personæ dividat, neque item personæ unitas differentiam confundat substancialium. Beata, inquam, Ecclesia! quæ, ut unum semper Christum & esse, & fuisse fateatur, unitum hominem Deo non post partum, sed jam in ipso Matris utero confitetur. Beata, inquam, Ecclesia! quæ Deum factum hominem non conversione naturæ, sed personæ ratione intelligit; personæ autem non simulatoriæ, & transiuntis, sed substancialiæ, ac permanentis. Beata, inquam, Ecclesia! quæ hanc personæ unitatem tantam vim habere prædicat, ut propter eam miro, ineffabilique mysterio, & Divina homini, & Deo adscribat humana. Nam propter eam, & hominem de cœlo secundum Deum descendisse non abnegat; & Deum secundum hominem, credit in terra factum, passum, & crucifixum. Propter eam denique, & hominem, Dei Filium, & Deum, filium Virginis confitetur. Beata igitur, ac veneranda, benedicta, & sacrosancta,

&

& omnino supernæ illi Angelorum laudationi comparanda confessio! quæ unum Dominum Deum trina sanctificatione glorificat. Idecirco etenim vel maxime unitatem Christi prædicat, ne mysterium Trinitatis excedat. Hæc in excursu dicta sint; alias, si Deo placuerit, uberioris tractanda, & explicanda. Nunc ad propositum redeamus.

Dicebamus ergo in superioribus, quod in Ecclesia Dci tentatio esset populi, error magistri; & tanto major tentatio, quanto ipse esset doctior, qui erraret. Quod primum Scripturæ auctoritate, deinde Ecclesiasticis docebamus exemplis, eorum scilicet commemoratione, qui, cum aliquandiu sanæ fidei forent habiti; ad extremum tamen aut in alienam decidissent sectam, aut ipsi suam hæresim condidissent. Magna profecto res, & ad discendum utilis, & ad recolendum necessaria; quam etiam, atque etiam exemplorum molibus illustrare, atque inculcare debemus: ut omnes vere Catholici noverint se cum Ecclesia doctores recipere, non cum doctribus Ecclesiæ fidem deserere debere. Sed ego ita arbitror, quod, cum multos in hoc tentandi genere proferre valeamus; nemo pene sit, qui Origenis temptationi valeat comparari: in quo plura adeo præcla-

clara, adeo singularia, adeo mira extiterunt, ut inter initia habendam cunctis assertionibus ejus fidem quivis facile judicaret. Nam si vita facit auctoritatem; magna illi industria, magna pudicitia, patientia, tolerantia. Si genus, vel eruditio; quid eo nobilius, qui primum in ea domo natus est, quæ est illustrata martyrio, deinde pro Christo non solum Patre, sed omni quoque facultate privatus, tantum inter sanctæ paupertatis profecit angustias, ut pro nomine Dominicæ confessionis saepius, ut ferunt, affligeretur? Neque vero hæc in illo sola erant, quæ cuncta postea temptationi forent; sed tanta etiam vis ingenii, tam profundi, tam acris, tam elegantis, ut omnes pene multum, longeque superaret: tanta doctrinæ, ac totius eruditionis magnificentia, ut pauca forent Divinæ, pene fortasse nulla humanæ Philosophiæ, quæ non penitus assequeretur: cuius scientiæ, cum Græca concederent, Hebræa quoque elaborata sunt. Eloquentiam vero quid memorem? cuius fuit tam amoena, tam laeta, tam dulcis oratio, ut mihi ex ore ipsius non tam verba, quam mella quædam fluxisse videantur. Quæ non ille persuasū difficultia disputandi viribus elimpidavit? quæ factu ardua non, ut facil-

quia viderentur, effecit? Sed forsitan argumentorum tantummodo nexibus assertiones suas texuit? Immo plane nemo unquam magistrorum fuit, qui pluribus Divinæ legis uteretur exemplis. Sed, credo, pauca conscripsit? Nemo mortaliū plura: ut mihi sua omnia non solum non perlegi, sed ne inveniri quidem posse videantur. Cui ne quicquam ad scientiæ instrumenta deesset, etiam plenitudo exabundavit ætatis. Sed forsitan discipulis parum felix? Quis unquam felicior? Nempe innumeri ex sinu suo Doctores, innumeri Sacerdotes, Confessores, & Martyres extiterunt. Jam vero quanta apud omnes illius admiratio, quanta gloria, quanta gratia fuerit, quis exequi valeat? Quis non ad eum paulo religiosior ex ultimis mundi partibus advolavit? quis Christianorum non, pene ut Prophetam, quis Philosophorum non, ut magistrum veneratus est? Quam autem non solum privatæ conditioni, sed ipsi quoque fuerit reverendus Imperio, declarant historiæ, quæ cum a matre Alexandri Imperatoris accitum ferunt: cœlestis utique sapientiæ merito, cuius illa gratia, & amore flagrabat. Sed & ejusdem epistolæ testimonium perhibent, quas ad Philippum Imperatorem, qui primus Roma-

norum Principum Christianus fuit, Christiani magisterii auctoritate conscripsit. De cuius incredibili quadam scientia si quis, referentibus nobis, Christianum non accipit testimonium, saltem, testificantibus Philosophis, gentilem recipiat confessionem. Ait namque impius ille Porphyrius, excitum se fama ipsius Alexandriam fere puerum perrexisse, ibique eum vidisse iam senem, sed plane talem, tantumque, qui arcem totius scientiae condidisset. Dies me citius defecerit, quam ea, quæ in illo viro præclara extiterunt, vel ex minima saltem parte perstringam; quæ tamen omnia non solum ad religiosis gloriam, sed etiam ad temptationis magnitudinem pertinebant. Quotus enim quisque tanti ingenii, tantæ gratiæ virum a se facile deponeret, ac non illa potius uteretur sententia: se cum Origene errare malle, quam cum aliis vera sentire? Et quid plura? eo res decidit, ut tantæ personæ, tanti Doctoris, tanti Prophetæ, non humana aliqua, sed, ut exitus docuit, nimium periculosa tentatio plurimos a fidei integritate deduceret. Quamobrem hic Origenes tantus, ac talis, dum gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, cum parvi pendit antiquam Chri-

stianæ religionis simplicitatem , dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas traditiones , & veterum magisteria contemnens , quædam scripturarum capitula novo more interpretatur ; meruit, ut de se quoque Ecclesiæ Dei diceretur : *Si surrexerit in medio tui Prophetæ.* Et paulo post : *Non audies , inquit , verba Prophetæ illius.* Et item : *Quia tentat vos*, inquit, *Dominus Deus vester , utrum diligatis eum , an non ?* Vere non solum tentatio , sed etiam magna tentatio ! deditam sibi, atque in se pendentem Ecclesiam admiratione ingenii, scientiæ, eloquentiæ, conversationis , & gratiæ, nihil de se suspicantem, nihil verentem, subito a veteri religione in novam profanitatem sensim , paulatimque traducere. Sed dicet aliquis, corruptos esse Origenis libros. Non resisto : quin potius & malo. Nam id a quibusdam & traditum, & scriptum est , non Catholicis tantum, sed etiam hæreticis. Sed illud est , quod nunc debemus advertere ; etsi non ipsum, libros tamen sub nomine suo editos magnæ esse temptationi : qui multis blasphemiarum vulneribus scatentes, non ut alieni, sed quasi sui & leguntur , & amantur ; ut etsi in errore concipiendo Origenis non fuit sensus , ad errorem tamen persuas-

svadendum Origenis auctoritas valere videatur.

Sed & Tertulliani quoque eadem ratio est. Nam sicut ille apud Græcos, ita hic apud Latinos nostrorum omnium facile princeps judicandus est. Quid enim hoc viro doctius, quid in Divinis, atque humanis rebus exercitatus? Nempe omnem Philosophiam, & cunctas Philosophorum sectas, auctores, assertoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas omnem historiarum, ac studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio vero nonne tam gravi, ac vehementi excelluit, ut sibi nihil pene ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliserit? Jam porro orationis suæ laudes quis exequi valeat? quæ tanta, nescio, qua rationum necessitate conferta est, ut ad consensum sui, quos suadere non potuerit, impellat; cuius quot pene verba, tot sententiæ sunt, quot sensus, tot victoriæ. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Judæi, Gentiles, Gnosti, cæterique; quorum ille blasphemias multis, ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus, evertit. Et tamen hic quoque post hæc omnia, hic, inquam,

Tertullianus, Catholici dogmatis, id est, universalis, ac vetustæ fidei parum tenax, ac disertior multo, quam felicior, mutata deinceps sententia, fecit ad extremum, quod de eo Beatus Confessor Hilarius ^{Hilarius} _{in Matth. cap. 5.} *dam loco scribit: Sequenti, inquit, errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem.* Et fuit ipse quoque in Ecclesia magna tentatio. Sed de hoc nolo plura dicere. Hoc tantum commemorabo, quod contra Moysi præceptum exurgentes in Ecclesia novellas Montani furias, & insanarum mulierum novitii dogmatis somnia veras prophetias affeversando, meruit, ut de se quoque, & scripturis suis diceretur: *Si surrexerit in medio tui Prophetæ..* Et mox: *Non audies verba Prophetæ illius. Quare? Quia, inquit, tentat vos Dominus Deus vester, utrum diligatis eum, an non?*

His igitur tot, ac tantis, cæterisque ejusmodi Ecclesiasticorum exemplorum molibus evidenter advertere, & secundum Deuteronomii leges luce clarius intelligere debemus, quod, si quandoquis Ecclesiasticus magister a fide aberraverit; ad temptationem id nostram fieri providentia Divina patiatur, utrum diligamus Deum, an non toto corde, & in tota anima nostra?

Quæ

Quæ cum ita sint ; ille est verus, & germanus Catholicus , qui veritatem Dei, qui Christi corpus diligit , qui Divinæ religioni , qui Catholicæ fidei nihil præponit , non hominis cuiuspiam auctoritatem, non amorem , non ingenium , non eloquentiam , non philosophiam ; sed hæc cuncta despiciens , & in fide fixus , & stabilis permanens , quicquid universaliter antiquitus Ecclesiam Catholicam tenuisse cognoverit , id solum sibi tenendum , credendumque decernit ; quicquid vero ab aliquo deinceps uno præter omnes , vel contra omnes sanctos novum , & inauditum subinduci senserit , id non ad religionem , sed ad tentationem potius intelligat pertinere ; tum præcipue Beati Apostoli Pauli eruditus eloquiis : hoc est enim , quod in prima ad Corinthios epistola scribit : *Oportet, inquit, & hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis.* ^{1. Cor. 11.} Ac si diceret : Ob hoc hæreseon non statim Divinitus eradicantur auctores , ut probati fiant , id est , unusquisque , quam tenax , & fidelis , & fixus Catholicæ fidei sit amator , appareat . Et revera cum quæque novitas ebullit ; statim cernitur frumentorum gravitas , & levitas palearum ; tunc sine magno molimine excutitur area , quod nullo pondere intra arcam te-

nebatur. Namque alii illico prorsus avolant; alii vero tantummodo excussi, & perire metuunt, & redire erubescunt sauci, semineces, semivivi: quippe, qui tantam veneni hauserint quantitatem, quæ nec occidat, nec digeratur, nec mori cogat, nec vivere sinat. Heu miseranda conditio! quantis illi curarum æstibus, quantis turbinibus exagitantur? Nunc etenim, qua ventus impulerit, incitato errore rapiuntur; nunc in semetipsos reversi, tanquam contrarii fluctus reliduntur; nunc temeraria præsumptione, & ea, quæ incerta videntur, approbant; nunc irrationali metu, etiam, quæ certa sunt, expavescunt; incerti, qua eant, qua redeant, quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Quæ quidem dubii, & male penduli cordis afflictio, Divinæ erga se miserationis est medicina, si sapient. Idcirco etenim extra tutissimum Catholicæ fidei portum diversis cogitationum quatius intantur, verberantur, ac pene enecantur procellis, ut excussa in altum elatæ mentis vela deponant, quæ male novitatum ventis expandent, seque intra fidelissimam stationem placidæ, ac bonæ matris reducant, & teneant, atque amaros illos, turbulentosque errorum fluctus primitus revomant,

ut

ut possint deinceps vitæ, & salientis aquæ fluenta potare. Dediscent bene, quod didicerant non bene; & ex toto Ecclesiæ dogmate, quod intellectu capi potest, capiant; quod non potest, credant.

Quæ cum ita sint, iterum, atque iterum eadem mecum revolvens, & reputans, mirari satis nequco tantam quorundam hominum vœsaniam, tantam excœcatæ mentis impietatem, tantam postremo errandi libidinem, ut contenti non sint tradita semel, & accepta antiquitus credendi regula; sed nova, ac nova in diem quærant, semperque aliquid gestiant religioni addere, mutare, detrahere. Quasi non cœleste dogma sit, quod semel revelatum esse sufficiat; sed terrena institutio, quæ aliter perfici, nisi assidua emendatione, immo potius reprehensione non possit; cum Divina clament oracula: *Ne transferas terminos, quos posuerunt Patres tui.* Et: *super judicantem ne iudices.* Et: *Scindentem sepem, mordebit eum serpens.* Et illud Apostolicum, quo omnes omnium hæreſeon sceleratæ novitates velut quodam spirituali gladio ſaþe truncatæ, semperque truncandæ sunt: *O Timothée! depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiores falsi nominis scientiæ, quam quidam*

promittentes circa fidem exciderunt.
Et post hæc inveniuntur aliqui tanta in-
veteratæ frontis duritia, tanta impuden-
tiæ incude, tanto adamante pertinaciæ,
qui tantis eloquiorum cœlestium molibus
non succumbant, tantis ponderibus non fa-
riscant, tantis malleis non conquassen-
tur, tantis postremo fulminibus non con-
terantur? *Devita*, inquit, *prophanas*
vocum novitates. Non dixit: *antiquitates*,
non dixit: *vetustates*; immo plane, quid e
contrario sequeretur, ostendit. Nam si
vitanda est novitas; tenenda est antiqui-
tas: et si prophana est novitas; sacrata est
vetustas. *Et oppositionis*, inquit, *falsi no-*
minis scientiæ. Vere falsum nomen
apud doctrinas hæreticorum; ut igno-
rantia scientiæ, & caligo serenitatis, &
tenebræ luminis appellatione fuentur.
Quam quidam, inquit, *promittentes*,
circa fidem exciderunt. Quid promit-
tentest exciderunt? nisi novam, nescio
quam, ignoratamque doctrinam? Audias
etenim quosdam ipsorum dicere: Venite
ð insipientes, & miseri, qui vulgo Catho-
lici vocitamini, & discite fidem veram,
quam præter nos nullus intelligit, quæ
multis ante seculis latuit, nuper vero re-
velata, & ostensa est; sed discite furtim, at-
que secretim: delectabit enim vos. Et
item:

item : Cum didiceritis ; latenter docete : ne mundus audiat , ne Ecclesia sciat . Paucis namque concessum est , tanti mysterii capere secretum . Nonne hæc verba sunt illius meretricis , quæ apud Salomonis proverbia vocat ad se prætereuntes viam , qui dirigunt iter suum ? *Qui Prover. 6: est , inquit , vestrum insipientissimus , di-*
vertat ad me. Inopes autem sensu exhortatur , dicens : *Panes ocultos libenter attingite , & aquam dulcem furtim bibe.* Quid deinde ? *At ille , inquit , ne-*
scit , quomodo terrigenæ apud eam pereant. Qui sunt isti terrigenæ ? Exponat Apostolus : *Qui circa fidem , inquit , exciderunt.*

Sed operæ pretium , est totum ipsum Apostoli capitulum diligentius pertractare . *O Timothee !* inquit , *depositum custodi ,*
devitans profanas vocum novitates. O ! exclamatio ista , & præscientiæ est pariter , & charitatis . Prævidebat enim futuros , quos etiam prædolebat , errores . Quid est hodie Timotheus ? nisi vel generaliter universa Ecclesia , vel specialiter totum corpus præpositorum , qui integrum Divini cultus scientiam , vel habere ipsi debent , vel aliis infundere . Quid est , *depositum custodi ?* Custodi , inquit , propter fures , propter inimicos ; ne dormientibus hominibus , superseminent zizania su.

super illud tritici bonum semen , quod se-
minaverat filius hominis in agro suo. *De-
positum* , inquit , *custodi*. Quid est depo-
situm ? id est , quod tibi creditum est ,
non , quod a te inventum , quod accepisti ,
non , quod excogitasti ; rem non ingenii ,
sed doctrinæ ; non usurpationis privatæ ,
sed publicæ traditionis ; rem ad te perdu-
ctam , non a te prolatam ; in qua non au-
tor debes esse , sed custos ; non institu-
tor , sed sectator ; non ducens , sed se-
quens. *Depositum* , inquit , *custodi* , Ca-
tholicæ fidei talentum inviolatum , illiba-
tumque conserva. Quod tibi creditum ,
hoc penes te maneat , hoc a te tradatur.
Aurum accepisti , aurum redde , nolo , mi-
hi pro aliis alia subjicias , nolo , pro auro
aut impudenter plumbum , aut fraudu-
lenter æramenta supponas , nolo auri spe-
ciem , sed naturam plane. O Timothee !
ô Sacerdos ! ô Tractator ! ô Doctor ! si
te Divinum munus idoneum fecerit ; in-
genio , exercitatione , doctrina esto spiri-
talis tabernaculi Beseeleel , pretiosas Divi-
ni dogmatis gemmas exsculpe , fideliter
copta , adorna sapienter , adjice splendo-
rem , gratiam , venustatem. Intelligatur ,
te exponente illustrius , quod antea ob-
scarius credebatur ; per te posteritas in-
tellectum gratuletur , quod ante vetustas
non

non intellectum venerabatur. Eadem tamen, quæ didicisti, doce: ut, cum dicas nove, non dicas nova.

Sed forsitan dicit aliquis: Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane, & maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutation. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsum unaquaque res amplificeatur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur, oportet, & multum, vehementerque proficiat tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, ætatum, ac seculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. Imitetur animarum religio rationem corporum: quæ licet annorum processu numeros suos evolvant, & explicent, eadem tamen, quæ erant, permanent. Multum interest inter pueritiae florem, & senectutis maturitatem; sed iidem tamen ipsi fiunt senes, qui fuerant adolescentes; ut quamvis unius, ejusdemque hominis status, habitusque mu-

mutetur ; una tamen nihilominus , eademque natura , una , eademque persona sit . Parva lactentium membra , magna juvenum ; eadem ipsa sunt tamen . Quot parvulorum artus , tot virorum ; & si qua illa sunt , quæ ævi maturioris ætate pariuntur , jam in seminis ratione proserta sunt ; ut nihil postea novum proferatur in senibus , quod non in pueris jam ante latitaverit . Unde non dubium est , hanc esse legitimam , & rectam proficiendi regulam , hunc ratum , atque pulcherrimum crescendi ordinem , si eas semper in grandioribus partes , ac formas numerus detexat ætatis , quas in parvulis Creatoris sapientia præformaverat . Quod si humana species in aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem , aut certe addatur quippiam membrorum numero , vel detrahatur ; necesse est , ut totum corpus vel intercidat , vel prodigiosum fiat , vel certe debilitetur . Ita etiam Christianæ religionis dogma sequatur has , decet , perfectum leges ; ut annis scilicet consolideretur , dilatetur tempore , sublimetur ætate ; incorruptum tamen , illibatumque permaneat , & universis partium suarum mensuris , cunctisque , quasi membris , ac sensibus propriis plenum , atque perfectum sit , quod nihil præterea permutationis admittit .

mittat, nulla proprietatis dispendia, nullam definitionis sustineat varietatem. Exempli gratia: Severunt maiores nostri antiquitus in Ecclesiastica segete triticeæ fidei semina; iniquum valde, & incongruum est, ut nos eorum posteri pro germana veritate frumenti subdititium zizaniæ legamus errorem. Quin potius hoc rectum, & consequens est, ut primis, atque extremis sibimet non discrepantibus, de incrementis triticeæ institutionis triticei quoque dogmatis frugem demetamus; ut, cum aliquid ex illis seminum primordiis accessu temporis evolvatur; & nunc lætetur, & excolatur, nihil tamen de germinis proprietate mutetur: addatur licet species, forma, distinctio; eadem tamen cujusque generis natura permaneat. Absit etenim, ut rosea illa Catholici sensus plantaria in carduos, spinasque vertantur. Absit, inquam, ut in isto spiritali paradysò de cynamomi, & balsami surculis lolium repente, atque aconita proveniant. Quodcunque igitur in hac Ecclesiæ Dei agricultura fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria, decet, excolatur, & observetur, hoc idem floreat, & maturescat, hoc idem proficiat, & proficiatur. Fas est etenim, ut prisca illa cœlestis Philosophiæ dogmata processu tem-

temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est, ut commutentur, nefas, ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant, licet, evidentiam, lucem, distinctionem; sed retineant, necesse est, plenitudinem, integritatem, proprietatem. Nam si semel admissa fuerit hæc impiæ fraudis licentia; horreo dicere, quantum exscindendæ, atque abolendæ religionis periculum consequatur. Abdicata etenim qualibet parte Catholici dogmatis; alia quoque, atque item alia, ac deinceps alia, & alia, jam quasi ex more, & licto abdicabuntur. Porro autem singillatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur? nisi, ut totum pariter repudietur. Sed & contra, si novitia veteribus, extranea domesticis, & profana sacratis admisceri cœperint; proserpat hic mos in universum, necesse est, ut nihil posthac apud Ecclesiam relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum, sed sit ibidem deinceps impiorum, ac turpium errorum lupanar, ubi erat ante castæ, & incorruptæ sacrarium veritatis. Sed avertat hoc a suorum mentibus nefas Divina pietas, sitque hic potius impiorum furor! Christi vero Ecclesia sedula, & cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam per-

permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena; sed omni industria hoc unum studet, ut vetera fideliter, sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus informata, & inchoata, accurret, & poliat; si qua jam confirmata, & definita, custodiat. Denique quid unquam aliud Conciliorum decretis, enisa est? nisi, ut, quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur, quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea instantius praedicaretur, quod antea secundus colebatur, hoc idem postea sollicitius excoleretur. Hoc, inquam, semper, neque quicquam præterea, hæreticorum novitatibus excitata, Conciliorum suorum decretis Catholica perfecit Ecclesia, nisi, ut, quod prius a majoribus sola traditione susceperebat, hoc deinde posteris etiam per scripturæ chirographum consignaret, magnam rerum summam paucis literis comprehendendo, & plerumque, propter intelligentiæ lucem, non novum fidei sensum novæ appellationis proprietate signando.

Sed ad Apostolum redeamus. *O Timothee, inquit, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* Devita-

inquit, quasi viperam, quasi scorpionem,
 quasi basiliscum, ne te non solum tactu,
 sed etiam visu, afflatusque percutiant.
 Quid est devitare? cum hujusmodi nec
^{x. Cor. 5.} cibum sumere. Quid est *Devita?* Si
 quis, inquit, venit *ad vos*, & *hanc do-*
^{Ioann. 2.} *Etринам non ad fert.* Quam doctrinam,
 nisi Catholicam, & universalem, & unam,
 eandemque per singulas ætatum successio-
 nes incorrupta veritatis traditione ma-
 nentem, & usque in secula sine fine men-
 suram? Quid tum? *Nolite*, inquit, *re-*
cipere eum in domum, nec *ave ei dixe-*
ritis. Qui enim dicit illi *ave*, *commu-*
nicat operibus ejus malignis. Profanas,
 inquit, *vocum novitates.* Quid est pro-
 fanas? quæ nihil habent sacri, nihil re-
 ligiosi, ab Ecclesiæ penetralibus, quæ est
 templum Dei, penitus extraneas. Pro-
 fanas, inquit, *vocum novitates.* Vocab,
 id est, dogmatum, rerum, sententiarum
 novitates, quæ sunt vetustati, atque an-
 tiquitati contrariæ, quæ si recipiantur;
 necesse est, ut fides Beatorum Patrum aut
 tota, aut certe magna ex parte violetur;
 necesse est, ut omnes omnium ætatum
 fideles, omnes sancti, omnes casti, con-
 tinentes, virgines, omnes Clerici, Le-
 vitæ, & Sacerdotes, tanta Confessorum
 millia, tanti Martyrum exercitus, tanta

ur-

urbium, tanta populorum celebritas, & multitudo, tot insulæ, provinciæ, Reges, gentes, regna, nationes, totus postremo jam pene terrarum orbis per catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto seculorum tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse, quid crederet, pronuntietur. *Profanas*, inquit, *vocum novitatis devita*, quas recipere, atque se-
ctari, nunquam catholicorum, semper ve-
ro hæreticorum fuit. Et revera, quæ unquam hæresis, nisi sub certo nomine,
certo loco, certo tempore, ebullivit? Quis unquam hæreses instituit? nisi, qui se prius ab Ecclesiæ catholicæ universita-
tis, & antiquitatis consensione discreverit? *Quod ita esse*, luce clarius exempla demonstrant.

Quis enim unaquæcumque ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adjuvandum ne-
cessariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigiosum discipulum ejus Cele-
stium reatu prævaricationis Adæ omne ge-
nus humanum negavit adstrictum? Quis ante sacrilegum Arrium Trinitatis unita-
tem discindere, quis ante sceleratum Sa-
bellium unitatis Trinitatem confundere ausus est? Quis ante crudelissimum Nova-

tianum crudelem Deum dixit, eo, quod mallet mortem morientis, quam, ut revertatur, & vivat? Quis ante magum Simonem, Apostolica distinctione percussum, (a quo vetus ille turpitudinum gurges usque in novissimum Priscillianum continua, & occulta successione manavit) sanctorem malorum, id est, scelerum, impietatum, flagitorumque nostrorum ausus est dicere Creatorem Deum? quippe, quem asserit talem hominum manibus ipsam suis creare naturam, quæ proprio quodam motu, & necessariæ cuiusdam voluntatis impetu nihil aliud possit, nihil aliud velit, nisi peccare, eo, quod furiis omnium vitiorum exagitata, & inflamata in omnium turpitudinum barathra inexhausta cupiditate rapiatur. Innumera sunt talia, quæ brevitatis studio prætermittimus; quibus tamen cunctis satis evidenter, perspicueque monstratur, hoc apud omnes fere hæreses, quasi solenne esse, ac legitimum, ut semper profanis novitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidiant, & per oppositiones falsi nominis scientiæ, a fide naufragent. Contra vero catholicorum hoc vere proprium, deposita sanctorum Patrum, & commissa servare, damnare profanas novitates, & sicut dixit, atque iterum prædixit Apostolus,

Jus: *Si quis annuntiaverit, præterquam, Galat. 1.
quod acceptum est; anathemate.*

Hic fortasse aliquis interroget, an & hæretici Divinæ scripturæ testimoniis utantur? Utuntur plane, & vehementer quidem. Nam videoas eos volare per singula quæque sanctæ legis volumina, per Moy-si, per Regum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Evangelia, per Prophetas. Sive enim apud suos, sive alienos, sive privatim, sive publice, sive in sermonibus, sive in libris, sive in conviviis, sive in plateis, nihil unquam pene de suo proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samosateni opuscula, Priscilliani, Eunomii, Joviniani, reliquarumque pestium; cernas infinitam exemplorum congeriem, prope nullam omitti paginam, quæ non novi, aut veteris Testamenti sententiis fucata, & colorata sit. Sed tanto magis cavendi, & pertimescendi sunt, quanto occulitus sub Divinæ legis umbraculis latitant. Sciunt enim fœtores suos nulli fere cito esse placituros, si nudi, & simpliccs exhalentur; atque idcirco eos cœlestis eloquii, velut quodam aromate aspergunt, ut ille, qui humanum facile despiceret errorem, Divina non facile contemnat oracula. Itaque faciunt, quod hi solent,

qui parvulis austera quædam temperaturi pocula , prius oras melle circumlinunt ; ut incauta ætas cum dulcedinem præsenserit ; amaritudinem non reformidet. Quod etiam iis curæ est , qui mala grama , & novos succos medicaminum vocabulis præcolorant ; ut nemo fere , ubi suprascriptum legerit remedium , suspicetur venenum. Inde denique & Salvator *Matth. 7.* clamat : *Attendite vobis a pseudoprophe-tis , qui veniunt ad vos in vestitu ovium ; intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Quid est vestitus ovium , nisi Prophetarum , & Apostolorum proloquia ; quæ iidem , ovili quadam sinceritate , agno illi imma-culato , qui tollit peccatum mundi , tan-quam vellera quædam texuerant ? Qui sunt lupi rapaces , nisi sensus hæreticorum feri , & rabidi , qui caulas Ecclesiæ sem-per infestant , & gregem Christi , quaqua possunt , dilacerant ? Sed , ut fallacius in-cautis ovibus obrepant , manente lupo-rum ferocia , deponunt lupinam speciem , & sese Divinæ legis sententiis , velut qui-busdam velleribus , obolvunt ; ut , cum quisque lanarum mollitiem præsenserit ; nequaquam aculeos dentium pertimescat. Sed quid ait Salvator ? *Ex fructibus eo-rum cognoscetis eos.* Id est : Cum cō-pe-rint Divinas illas voces non jam proferre
tan-

tantum, sed etiam exponere, nec adhuc
jactare solum, sed etiam interpretari; tunc
amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc ra-
bies intelligetur, tunc novitium virus ex-
halabitur, tunc profanæ novitates aperi-
entur; tunc primum scindi sepem videas,
tunc transferri Patrum terminos, tunc
catholicam fidem cædi, tunc Ecclesiasti-
cum dogma lacerari.

Tales erant ii, quos percutit Aposto-
lus in secunda ad Corinthios, dicens:
*Nam ejusmodi, inquit, pseudoapostoli sunt 2. Cor. 11.
operarii subdoli, transfigurantes se in
Apostolos Christi.* Quid est, *transfiguran-*
tes se in Apostolos Christi? Proferebant
Apostoli Divinæ legis exempla; profere-
bant & illi: proferebant Apostoli psalmo-
rum auctoritates; proferebant & illi: pro-
ferebant Apostoli sententias Prophetarum;
& illi nihilominus proferebant; sed cum
ea, quæ similiter protulerant, interpre-
tari non similiter cœpissent; tunc simpli-
ces a subdolis, tunc infucati a fucatis,
tunc recti a perversis, tunc postremo ve-
ri Apostoli a falsis Apostolis discerneban-
tur. *Et non mirum, inquit, ipse enim
Satanas transfigurat se in Angelum lucis.*
Non est ergo magnum, si ministri ejus
transfigurantur, sicut ministri justitiæ.
Ergo, secundum Apostoli Pauli magiste-

rium, quotiescunq; vel pseudoapostoli, vel pseudophphetæ, vel pseudodoctores Divinæ legis sententias proferunt, quibus male interpretatis errores suos adstruere contentur, non dubium est, quin auctoris sui callida machinamenta sectentur; quæ ille nunquam profecto comminisceretur, nisi sciret omnino nullam esse ad fallendum faciliorem viam, quam ut, ubi nefarii erroris subinducitur fraudulentia, ibi Divinorum verborum prætendatur auctoritas.

Sed dicet aliquis: Unde probatur, quia sacræ legis exemplis diabolus uti soleat? Legat Evangelia, in quibus scribitur: Tunc assumpſit illum diabolus, id est, Dominum Salvatorem, & statuit illum super pinnam templi, & dixit ei: Si filius Dei es; mitte te deorsum. Scriptum est enim, quod Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis; in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Quid hic faciet misellis hominibus, qui ipsum Dominum majestatis Scripturarum testimoniis appetivit? Si, inquit, filius Dei es, mitte te deorsum. Quare? Scriptum est enim, inquit. Magnopere nobis doctrina loci istius attendenda, atque retinenda est; ut tanto evangelicæ auctori-

tatis exemplo, quando aliquos Apostoli-
ca, seu Prophetica verba proferre contra
Catholicam fidem viderimus, diabolum
per eos loqui, minime dubitemus. Nam
sicut tunc caput capiti, ita nunc quoque
membra membris loquuntur, membra
scilicet diaboli, membris Christi, perfidi
fidelibus, sacrilegi religiosis, hæretici po-
stremo Catholicis. Sed quid tandem di-
cunt? *Si, inquit, filius Dei es, mitte te*
deorsum. Hoc est: Si filius esse vis Dei,
& hæreditatem regni cœlestis accipere,
mitte te deorsum, id est: ex istius te
sublimis Ecclesiæ, quæ etiam templum
Dei putatur, doctrina, & traditione de-
mitte. Ac si quis interroget quempiam
hæretorum sibi talia persuadentem: Un-
de probas, unde doces, quod Ecclesiæ
Catholicæ universalem, & antiquam fidem
dimittere debeam? Statim ille: *Scriptum*
est enim. Et continuo mille testimonia,
mille exempla, mille auctoritates parat,
de lege, de psalmis, de Apostolis, de Pro-
phetis: quibus novo, & malo more in-
terpretatis, ex arce Catholica in hæreseos
barathrum infelix anima præcipitetur.

Jam vero illis, quæ sequuntur pro-
missionibus miro modo incautos homines
hæretici decipere consueverunt. Audent
etenim polliceri, & docere, quod in Ec-

clesia sua, id est, in communionis suæ conventiculo magna, & specialis, ac plane personalis quædam sit Dei gratia, adeo, ut sine ullo labore, sine ullo studio, sine ulla industria, etiamsi nec petant, nec quærant, nec pulsent, quicunque illi ad numerum suum pertinent, tamen ita Divinitus dispensentur, ut angelicis eveneti manibus, id est, angelica protectione servati, nunquam possint offendere ad lapidem pedem suum, id est, nunquam scandalizari. Sed dicet aliquis: Si Divinis eloquiis, sententiis, promissionibus & diabolus, & discipuli ejus utuntur, quorum alii sunt pseudoapostoli, alii pseudoprophetæ, pseudomagistri, & omnes ex toto hæretici; quid facient catholici homines, & Matris Ecclesiæ filii? quonam modo in scripturis sanctis veritate in a falsitate discernent? Hoc scilicet facere magnopere curabunt, quod in principio Commonitorii istius sanctos, & doctos viros nobis tradidisse scripsimus; ut Divinum canonem secundum universalis Ecclesiæ traditiones, & juxta Catholici dogmatis regulas interpretentur, in qua item Catholica, & Apostolica Ecclesia sequantur, neceesse est, universitatem, antiquitatem, confessionem, & si quando pars contra universitatem, novitas contra ve-

tu-

tustatem, unius, vel paucorum errantium dissensio contra omnium, vel certe multo plurium Catholicorum consensionem rebellaverit; præferant partis corruptioni universitatis integritatem: in qua eadem universitate, novitatis profanitati, antiquitatis religionem, itemque in ipsa vetusta- te, unius, sive paucissimorum temeritati, primum omnium generalia, si qua sunt, universalis Concilii decreta præponant; tunc deinde, si id minus est, sequuntur, quod proximum est, multorum, atque magnorum consentientes sibi sententias magistrorum. Quibus adjuvante Domino fideliter, sobrie, sollicite observatis, non magna difficultate noxios quosque exur- gentium hæreticorum deprehendemus errores.

Hic jam consequens esse video, ut exemplis demonstrem, quonam modo pro- fanæ hæreticorum novitates, prolatis, at- que collatis veterum magistrorum con- cordantibus sibimet sententiis, & depre- hendantur, & condemnentur. Quæ ta- men antiqua sanctorum Patrum con- sensio non in omnibus Divinæ legis quæsti- unculis, sed solum certe, præcipue in fi- dei regula magno nobis studio, & inve- stiganda est, & sequenda. Sed neque semper, neque omnes hæreses hoc modo im-

impugnandæ sunt, sed novitiæ, recentesque tantummodo; cum primum scilicet exoriuntur, antequam infalsarint vetustæ fidei regulas, ipsius temporis vetentur angustiis, ac priusquam manante latius veneno, majorum volumina vitiare contentur. Cæterum dilatatae, & inveteratae hæreses nequaquam hac via aggrediendæ sunt, eo, quod prolixo temporum tractu longa iis furandæ veritatis patuerit occasio. Atque ideo, quascunque illas antiquiores vel schismatum, vel hæreseon profanitates nullo modo nos oportet, nisi aut sola, si opus est, Scripturarum auctoritate convincere, aut certe jam antiquitus universalibus Sacerdotum Catholicorum Conciliis convictas, damnatasque vitare. Itaque cum primum mali cuiusque erroris putredo erumpere cœperit, & ad defensionem sui quædam sacrae legis verba furari, eaque fallaciter, & fraudulenter exponere; statim interpretando canoni majorum sententiæ congregandæ sunt, quibus illud, quocunque exurget novitium, ideoque profanum, & absque ulla ambage prodatur, & sine ulla retractione damnetur. Sed corum duntaxat Patrum sententiæ conferendæ sunt, qui in fide, & communione Catholica sancte, sapienter, constanter viventes,
do.

docentes, & permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum est, ut, quicquid vel omnes, vel plures uno, eodemque sensu manifeste, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint; id pro indubitato, certo, ratoque habeatur. Quicquid vero, quamvis ille sanctus, & doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor, & Martyr, praeter omnes, aut etiam contra omnes senserit; id inter proprias, & occultas, & privatas opiniunculas a communis, & publicæ, ac generalis sententiæ auctoritate secretum sit; ne cum summo æternæ salutis periculo, juxta sacrilegam hæreticorum, & schismaticorum conuetudinem, universalis dogmatis antiqua veritate dimissa, unius hominis novitium se etemur errorem. Quorum beatorum Patrum sanctum, Catholicumque consensum, ne quis sibi temere contemnendum forte arbitretur, ait in prima ad Corinthios Apostolus: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, (quorum ipse unus erat) secundo Prophetas, (qualem in actibus Apostolorum legimus Agabum) tertio Doctores,*

1. Cor. 12.

qui

qui tractatores nunc appellantur ; quos hic idem Apostolus etiam Prophetas interdum nuncupat , eo, quod per eos Prophetarum mysteria populis aperiantur.

Hos ergo in Ecclesia Dei Divinitus per tempora , & loca dispensatos quisquis in sensu Catholici dogmatis unum aliquid in Christo sentientes contempserit ; non nominem contemnit , sed Deum : a quorum veridica unitate , ne quis discrepet , impensis obtestatur idem Apostolus dicens : *Obsecro autem vos , fratres , ut id ipsum dicatis omnes , & non sint in vobis schismata : sitis autem perfecti in eodem sensu , & in eadem sententia .* Quod si quis ab eorum sententiæ communione desciverit ; audiet illud ejusdem Apostoli : *Non est Deus dissensionis , sed pacis ,* (id est , non ejus , qui a consentendi unitate defecerit , sed eorum , qui in consentiendi pace permanserint) *sicut in omnibus ,* inquit , *Ecclesiis sanctorum doceo ,* id est , Catholicorum ; quæ ideo sanctæ sunt , quia in fidei communione persistunt . Et ne quis forsitan prætermisssis cæteris , se solum audiri , sibi soli credi arrogaret ; paulo post ait : *An a vobis ,* inquit , *verbum Dei processit ? aut in vos solos devenit ?* Et ne hoc quasi perfunctorie acciperetur , adjecit : *Si ,*

quis ,

quis, inquit, videtur Propheta esse, aut spiritualis; cognoscat, quæ scribo vobis: quia Domini sunt mandata. Quæ utique mandata, nisi, ut, si quis est Propheta, aut spiritualis, id est, spiritualium rerum magister; summo studio æqualitatis, & unitatis cultor existat? ut scilicet, neque opiniones suas cæteris præferat, & ab universorum sensibus non recedat. Cujus rei mandata, qui ignorat, inquit, ignorabitur. Id est: Qui aut nescita non dicit, aut scita contemnit; ignorabitur, hoc est: indignus habebitur, qui inter unitos fide, & exæquatos humilitate Divinitus respiciatur, quo malo, nescio, an quicquam acerbius cogitari queat. Quod tamen juxta Apostolicam comminationem Pelagiano illi provenisse cernimus Juliano, qui se collegarum sensui, aut incorporare neglexit, aut excorporare præsumpsit. Sed jam tempus est, ut pollicitum proferamus exemplum, ubi & quomodo Sanctorum Patrum sententiae congregatæ sint, ut secundum eas ex decreto, atque auctoritate Concilii, Ecclesiasticae fidei regula figeretur. Quod quo commodius fiat, hic sit jam hujus Commonitorii modus; ut cætera, quæ sequuntur ab alio sumamus exordio.

*Una editio-
nes, &
manuscri-
ptis libri.*

Secundum Commonitorium interlapsum
est; neque ex eo amplius quicquam,
quam postrema particula remansit,
id est, sola recapitulatio, quæ & sub-
jecta est.

Quæ cum ita sint; jam tempus est,
ut ea, quæ duobus his Commonito-
ris dicta sunt, in hujus secundi fine reca-
pitulemus. Diximus in superioribus hanc
fuisse semper, & esse hodie Catholicorum
consuetudinem, ut fidem veram duobus
his modis approbent. Primum Divini ca-
nonis auctoritate; deinde Ecclesiæ Ca-
tholicæ traditione. Nec quia canon solus
non sibi ad universa sufficiat; sed quia
verba Divina pro suo plerique arbitratu-
interpretantes, varias opiniones, errores-
que concipient; atque ideo necesse sit,
ut ad unam Ecclesiastici sensus regulam
Scripturæ cœlestis intelligentia dirigatur,
in iis duntaxat præcipue quæstionibus,
quibus totius Catholici dogmatis funda-
menta nituntur. Item diximus in ipsa
rursus Ecclesia universitatis pariter, & an-
tiquitatis consensionem spectari oportere;
ne aut ab unitatis integritate in partem
schismatis abrumpamur, aut a vetustatis
religione in hæreseon novitates præcipi-
temur. Item diximus in ipsa Ecclesiæ

ve-

vetustate duo quædam *vehementer*, studioseque observanda, quibus *penitus* in hærere deberent, quicunque hæretici esse nollent. Primum, si quid esset antiquitus ab omnibus Ecclesiæ Catholicæ Sacerdotibus universalis Concilii auctoritate decreatum. Deinde, si qua nova exurgeret quæstio, ubi id minime reperiaretur, recurrendum ad Sanctorum Patrum sententias, eorum duntaxat, qui suis quique temporibus, & locis in unitate communionis, & fidei permanentes, magistri probabiles extitissent, & quicquid uno sensu, atque consensu tenuisse invenirentur, id Ecclesiæ verum, & catholicum absque ullo scrupulo judicaretur. Quod ne præsumptione magis nostra, quam auctoritate Ecclesiastica promere videremur; exemplum adhibuimus sancti Concilii, quod ante triennium ferme in Asia apud Ephesum celebratum est VV. CC. Basso, Antiochoque Consulibus: ubi cum de sanciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illuc forsitan profana novitas in modum perfidiæ Ariminensis obreperet, universis sacerdotibus, qui illo ducenti fere numero convenerant, hoc catholicissimum, fidelissimum, atque optimum factu visum est, ut in medium Sanctorum Patrum sententiæ proferrentur, quorum aliquos Con-

cessores, omnes vero catholicos Sacerdotes fuisse, & permansisse constaret: ut scilicet rite, atque solemniter ex eorum consensu, atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur, & profanæ novitatis blasphemia condemnaretur. Quod cum ita factum foret, jure, meritoque impius ille Nestorius catholicæ vetustati contrarius, Beatus vero Cyrillus sacro-sanctæ antiquitati consentaneus judicatus est. Et, ut ad fidem rerum nihil deesset, tam nomina, & numerum (licet ordinem suissimus oblii) edidimus eorum Patrum, juxta quorum ibidem concinentem sibi, concordemque sententiam, & legis sacræ proloquia exposita sunt, & Divini dogmatis regula constabilita est ; quos, ad confirmandam memoriam, hic quoque recensere nequaquam superfluum est.

Sunt ergo hi viri, quorum in illo Concilio vel tanquam judicum, vel tanquam testium scriptæ recitata sunt : Sanctus Petrus, Alexandrinus Episcopus, Doctor præstantissimus, & Martyr Beatissimus; Sanctus Athanasius, ejusdem civitatis Antistes, Magister fidelissimus, & Confessor eminentissimus ; Sanctus Theophilus, ejusdem item urbis Episcopus, vir fide, vita, scientia satis clarus : cui successit Venerandus Cyrillus, qui nunc Alexandrinam

nam illustrat Ecclesiam. Et ne forsitan unius civitatis, ac provinciae doctrina hæc putaretur, adhibita sunt etiam illa Cappadociæ lumina, Sanctus Gregorius Episcopus, & Confessor de Nazianzo; Sanctus Basilus, Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, & Confessor; Sanctus item alter Gregorius, Nyssenus Episcopus, fidei, conversationis, integritatis, & sapientiæ merito, fratre Basilio dignissimus. Sed ne sola Græcia, aut Oriens tantum, verum etiam Occidentalis, & Latinus orbis ita semper sensisse approbaretur, lectæ sunt quoque ibi quædam ad quosdam epistolæ Sancti Felicis Martyris, & sancti Julii, urbis Romæ Episcoporum. Et ut non solum caput orbis, verum etiam latera illi judicio testimonium perhiberent, adhibitus est a Meridie Beatissimus Cyprianus, Episcopus Carthaginensis, & Martyr; a Septentrione, Sanctus Ambrosius, Mediolanensis Episcopus. Hi sunt igitur omnes apud Ephesum sacrato decalogi numero Magistri, Consiliarii, testes, judicesque producti: quorum beata illa synodus doctrinam tenens, consilium sequens, credens testimonio, obediens judicio absque tædio, præsumptione, & gratia de fidei regulis pronuntiavit.

Quanquam multo amplior majorum numerus adhiberi potuerit; sed necesse non fuit: quia neque multitudine testium negotii tempora occupari oportebat, & decem illos non aliud vere sensisse, quam cæteros omnes collegas suos nemo dubitabat. Post quæ omnia, adjecimus etiam Beati Cyrilli sententiam, quæ gestis ipsis Ecclesiasticis continetur. Namque cum lecta esset Sancti Capreoli, Episcopi Carthaginensis epistola, qui nihil aliud intendebat, & precabatur, nisi ut expugnata novitate antiquitas defenderetur, ita Episcopus Cyrilus proloquutus est, & definivit; quod hic quoque interponere non abs re videtur. Ait enim in fine gestorum: *Et hæc, inquit, quæ lecta est epistola Venerandi, & multum religiosi Episcopi Carthaginensis, Capreoli, fidei gestorum inseretur; cuius aperta sententia est.* *Vult enim antiquæ fidei dogmata confirmari, novitia vero & superflue adinventa, & impie promulgata reprobari, atque damnari.* Omnes Episcopi acclamaverunt: *Hæ omnium voces sunt, hæc omnes dicimus, hoc omnium votum est.* Quæ tandem omnium voces, atque omnium vota, nisi ut, quod erat antiquitus traditum, teneretur, quod adinventum nuper, exploderetur? Post quæ admirati sumus,

&

& prædicavimus, quanta Concilii illius fuerit humilitas, & sanctitas, quot numero Sacerdotes, pene ex majori parte Metropolitanæ, tantæ eruditionis, tantæque doctrinæ, ut prope omnes possent de dogmatibus disputare, quibus propterea ipsa in unum congregatio audendi a se aliquid, & statuendi addere videretur fiduciam, nihil tamen novarent, nihil præsumerent, nihil sibi penitus arrogarent; sed omnimodis præcaverent, ne aliquid posteris traderent, quod ipsi a Patribus non accipisset, & non solum in præsenti rem bene disponerent, verum etiam post futuris exempla præberent: ut & ipsi scilicet sacratæ vetustatis dogmata colerent, profanæ vero novitatis adinventa damnarent. Investi etiam sumus in Nestorii sceleratam præsumptionem, quod sacram Scripturam se primum, & solum intelligere, & omnes eos ignorasse jactaret, quicunque ante se se magisterii munere prædicti, Divina eloquia tractavissent, universos scilicet Sacerdotes, universos Confessores, & Martyres, quorum alii explanassent Dei legem, alii vero explanantibus consensissent, vel credidissent, totam postremo etiam nunc errare asseveraret Ecclesiam, quæ, ut ipsi videbatur, ignaros,

erroneosque Doctores & sequuta esset, & sequeretur.

Quæ omnia licet cumulate, abunde-
que sufficerent ad profanas quasque no-
vitates obruendas, & extinguendas; ta-
men ne quid deesse tantæ plenitudini vi-
deretur, ad extremum adjecimus gemi-
nam Apostolicæ sedis auctoritatem, unam
¶ilicet sancti Papæ Xysti, qui nunc Ro-
manam Ecclesiam Venerandus illustrat,
alteramdecessoris sui beatæ memorię
Papæ Cælestini, quam hic quoque inter-
ponere necessarium judicavimus. Ait ita-
que Sanctus Papa Xystus in epistola, quam
de causa Nestorii Antiocheno misit Epi-
scopo: *Ergo, inquit, quia, sicut ait Apo-*
stolus, fides una est, quæ evidenter obti-
nuit, dicenda credamus, & tenenda di-
camus. Quæ sunt tandem illa credenda,
& dicenda? Sequitur, & ait: *Nihil ultra,*
inquit, liceat novitati: quia nihil addi
convenit vetustati. Perspicua majorum
fides, & credulitas nulla cœni permixtio-
ne turbetur. Omnino apostolice: ut ma-
jorum credulitatem perspicuitatis lumine
ornaret, novitias vero profanitatis cœni
permixtione describeret. Sed & Sanctus
Papa Cælestinus pari modo, eademque
sententia. Ait enim in epistola, quam
Gallorum Sacerdotibus misit, arguens co-
rum

rum conniventiam , quod antiquam fidem silentio destituentes , profanas novitates exurgere paterentur. *Merito* , inquit , *causa nos respicit , si silentio foveamus errorem*. Ergo corripiantur hujusmodi ; non sit iis liberum babere pro voluntate sermonem.

Hic aliquis fortasse addubitet , quinam sint illi , quos habere prohibeat liberum pro voluntate sermonem , vetustatis prædicatores , an novitatis adinventores ? ipse dicat , dubitationem legentium ipse dissolvat. Sequitur enim : *Desinat* , inquit , *si ita res est* , (id est , si ita est , ut apud me quidam urbes , & provincias vestras criminantur , quod eas quibusdam novitatibus consentire noxia dissimulatione faciatis) *Desinat itaque* , inquit , *si ita res est , incessere novitas vetustatem*. Ergo hæc fuit Beati Cælestini beata sententia ; non ut vetustas cessaret obruere novitatem , sed potius novitas desineret incessere vetustatem. Quibus Apostolicis , catholicisque decretis quisquis refragatur , insultet primum omnium , necesse est , memoriæ Sancti Cælestini , qui statuit , ut desineret incessere novitas vetustatem ; deinde irrideat definita Sancti Xysti , qui censuit , ne ultra quidquam liceat novitati : quia nihil addi convenit vetustati ;

sed

sed & Beati Cyrilli statuta contemnat, qui Venerandi Capreoli zelum magna prædicatione laudavit, quod antiqua fidei dogmata confirmari cuperet, novitia vero adinventa damnari; Ephesinam quoque synodus, id est, totius pene Orientis sanctorum Episcoporum judicia proculset, quibus Divinitus placuit nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacrata, sibiique in Christo consentiens Sanctorum Patrum tenuisset antiquitas, quique etiam vociferantes, & acclamantes uno ore testificati sunt, has esse omnium voces, hoc omnes optare, hoc omnes censere; ut, si cut universi fere ante Nestorium hæretici, contemnentes vetustatem, & afferentes novitatem, damnati forent; ita ipse quoque Nestorius, auctor novitatis, & impugnator vetustatis, condemnaretur. Quorum sacrosanctæ, & cœlestis gratiæ munere inspirata consensio, si cui displicet, quid aliud sequitur, nisi, ut profanitate in Nestorii afferat, non jure damnatam? Ad extremum quoque universam Christi Ecclesiam, & Magistros ejus Apostolos, & Prophetas, præcipue tamen Beatum Apostolum Paulum, velut quædam purgamenta contemnat; illam, quod a re iugione colendæ, & excolendæ semel sibi traditæ fidei nunquam recesserit; illum vero,

qui

qui scripserit: *O Timothee! depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.*
 Et item: *Si quis vobis annuntiaverit præterquam, quod accepistis; anathema sit.* Quod si neque Apostolica definita, neque Ecclesiastica decreta teneranda sunt, quibus secundum sacrosanctam universitatem, & antiquitatis consensionem cuncti semper hæretici, & ad extremum Pelagius, Cælestius, Nestorius jure, meritoque damnati sunt; necesse est profecto, omnibus deinceps catholicis, qui sese Ecclesiæ Matris legitimos filios probare student, ut sanctæ Sanctorum Patrum fidei agglutinentur, immoriantur, profanas vero profanorum novitates detestentur, horrescant, infectentur, persequantur.

Hæc sunt fere, quæ duabus Commonitoriis latius diserta, aliquanto nunc brevius recapitulandi lege constricta sunt: ut memoria mea, cui adminiculandæ ista confecimus, & commonendi assiduitate reparationem, & prolixitatis fastidio non obruatur.

E X P L I C



INDEX RERUM
IN LIBROS IV.
SANCTI SALVIANI;
DE AVARITIA,
ET COMMONITORIUM
VINCENTII LIRINENSIS.

A.



- Mandi filii sunt, sed modo, quo Deus
constituit. 42 43.
Amicorum, morientis lecto assistentium,
præsentia moveri non debet dives, ut
se neglecto, substantiam suam iis conferat. 141. 142.
Apollinaris in fide errores. 196. 197.
Amor filiorum, qui Parentes opes accumulare cogit,
illis noxious, his gravis est. 40. 41. 42.
Avaritia idolatriæ servitus est. 35. 36.
Avaritiam suam fideles non tantum ad præsentis
vitæ tempora, sed etiam post mortem futura
extendunt. 35. 36.
Avaritiæ, & cupiditati thesaurizantes, opes suas
locant in inferno; misericordia, & humanitati,
in cælo. 39.

B.

- Bona eaduca sibi, sempiterna filiis conferentes
Parentes, pietati propriæ consulunt, ac saluti. 44. 45.
Bona, quæ Deus homini contulit, aequæ, ac mala,
quæ pro homine pertulit, solvi omnino ne-
queunt. 66. 67.
Bonis a Deo datis non bene uti, malum inæstima-
bile est. 49. 50.

Ca-

INDEX RERUM.

C.

- C**atholici cum Ecclesia Doctores recipere, non
cum Doctoribus Ecclesiae fidem descrere debent. 192. &c. 208. &c.
Catholicos incautos quibus promissionibus hæretici
fallant? 233. 234.
Catholicus verus quis denum censendus? 215. &c.
Christianis nihil durum, aut austерum videri debet. 165. 166.
Christo promittenti non credere, res lugenda est
nimium. 161. 162.
Christus homo fuit nostri similis. 202. &c.
Christus non in vita tantum ab incolubus, sed
in exitu etiam vitæ a morientibus propinquati
preferendus est. 146. 147. &c.
Christus in Evangelio Clericis non arbitrarium,
sed imperativum perfectionis officium indicit. 83. 84.
Conciliorum decretis quid Ecclesia intendat? 225.
Consulere de suo non sibi, sed aliis, iisque sape alie-
nis, nihil æque stultum, ac perditum est. 126. 127. &c.
Cura, & amore filiorum, ad ampliandas opes compellē-
se, Parentes male putant. 40. 41.

D.

- D**ebet Deo non minus aliquis ideo, quod alius
idem debeat. 67. 68.
Defensio tempore Evangeli nulla est; quod in lege,
aut ante legem Sancti nonnulli divites fuerint. 71. 72.
Deum non amare probatur; qui moriens non illi,
verum hæredibus res suas relinquit. 151. 152.
Deus supplicarem in judicio hominem non audiet:
quia homo Deum ipsum, in vita pro se rogan-
tem, audire noluit. 140. 141.

INDEX RERUM.

- D**evo^{tores} nos esse vult Deus in lege gratiæ: quia devotionem nostram ingenti pretio comparavit. 75. 76. &c.
- D**eprecationis datur species, non reatus securitas Parentibus; qui bæreditarias facultates etiam filiis præ Deo relinquunt. 101. 102.
- D**ives avarus sicut credit, sic recipiet. 157. 158.
- D**ivitias in tormenta sibi convertunt divites; dum divitiis bene uti nolunt. 50. 51.
- D**ivitiæ non ipsæ per se noxiæ sunt; sed mentes e male utentium criminosa. 51. &c.
- D**ivites a malis æternis bona quædam alia non liberabunt; si unaiis defuerit liberalitas. 158. &c.
- D**ivitiæ dantur locupletibus a Deo: ut bonis exinde operibus ditescant. 100. 101.
- D**ivitiæ impedimenta, non adjumenta Religioni sunt. 94. 95. &c.
- D**ivitiæ malis non vitæ, sed mortis causa sunt. 44.
- D**ivites de opibus suis in morte sibi succurrere, aquissimum est. 95. 96. &c.
- D**ivites eo ipso nec bona, nec mala futura credunt, quod substantiam suam aliis non ante, quam post mortem tradendam velint. 131. &c. 138. &c.
- D**ivitiis non refrigerantur bæredum, flammæ infelicium mortuorum. 120. 121. &c.
- D**ivitibus, pœnas æternas facultatibus suis redire nolentibus, Dives Epulo cogitandus est: ne illæ perferendæ. 121. 122. &c.
- D**ivitium, facultatibus suis non recte utentium, exemplum triste dives evangelicus. 121. 122. &c.
- D**ivitium quorundam, morte appropinquante, dum filiis orbi sunt, bæredes quarentium, grandis insania. 128. 129.
- D**ogmata nova prædicanda æque, ac audienda non sunt. 185. 186. &c.
- D**ogmatum novorum inductione quantum calamitatis invehatur. 177. 178. &c.

Quæ

INDEX RERUM.

Quæ dono Dei accepimus, ad Dei cultum referre debemus. 46. 47.

E.

- Ecclesia Christi acceptorum dogmarum sedula custos, nihil in his unquam permutat.* 224. &c.
Ecclesiæ primitivæ, divitias repudiantis, beatitudine; modernæ easdem consequentis infelicitas. 36. 37.
Ecclesiæ tentatio eo major est, quo doctior, qui in ea a fide aberrat. 192. 193. &c.
Ecclesiæ veteris laudum moderna scientiam tantum habet, non conscientiam. 37. 38.
Eleemosyna quanta cuique, & qua mente facienda sit? 58. 59. &c.
Eleemosyna magnum est peccatori ad extrema de duolo subsidium. 56. 57. &c.
Eleemosyna non tam venia securitas, quam via inquirendæ salutis est. 63. 64.
Eleemosynæ necessitate tenentur non peccatores tantum, verum & sancti. 65. 66. &c.
Errores hereticorum quomodo sine difficultate comprehendendi, & convincendi. 234. 235. &c.
Errorum in fide diversa pericula, quibus mediis vitanda? 175. 176. &c.

F.

- Facultates terrenæ substantiæ in cultum Dei ergandæ sunt aut devotione, aut necessitate.* 47. 48.
Fidei desertores nonnulli cur importunis animi ex agitentur procellis? 215. &c.
Contra fidem Catholicam Scripturæ verba afferentium ore loquitur Diabolus. 232. 233.
Fidei Catholicæ veritas, qua certa, generali, & regulari via ab hereticae pravitatis falsitate discernenda? 173.

INDEX RERUM.

- Fidei mutatae, & remeratae Religionis crimen magno metu perrimescendum est.* 185. 186. &c.
Filiis genuinis partem aliquam substantiae relinquere res tolerabilis utcunque est; in adscitos transferre error non ferendus. 101. 102. &c.
Filiis Religiosis cum proprietate minus relinquere quam proprietatem rerum iis penitus auferre, impietatis tolerabilioris est. 111. 112. &c.
Filiorum ditandorum sollicitudine morituri Parentes a piis largitionibus nulla ratione excusantur. 101. 102. &c.
Filios non habentes cui substantiam suam relinquere debeant? 117. 118. &c.

H.

- Heredes institutos, quod solius amoris causa Deo anteponas, excusatio nulla est.* 150. 151. &c.
De hæredibus, & hæreditate transcribenda in extremis esse sollicitum, error dolore dignus est, impietas execratione. 103. 104. &c.
Hæredibus etiam legitimis non consulere in seculo, ut tibi multis modis succurras in aeternitate; iniustum non est. 106. 107.
Hæreditas ætate nostra non aliis minor relinquitur, atque, quibus ob Dei reverentiam major debetur, religionem ingressis. 107. 108. &c.
In hæreditatis participatione filii Religiosi filiis cæteris iniquissime a Parentibus postponuntur. 108. 109. &c. 115. &c.
Hæreditatis quidpiam non solum pie aliquibus relinquitur propinquis, sed etiam irreligiose non legatur, & quibus? 107.
In hæreseon novitores ne præcipitemur, antiquitatis in Ecclesia consensus, & universitas speclanda est. 181. 182.

INDEX RERUM.

- Hæresum* Authores cur non a Deo in ipsis impie-
tatis suæ principiis perdantur? 215. &c.
Hæretici quantopere ex Apostoli sententia fugiendi?
225. &c.
Hæretorum seductorum quæ diceria? & hac cu-
jus sermones sunt? 218. 219.
Hæretorum est proprium, profanis gaudere novi-
tatibus, antiquitatis fastidire scita. 226. &c.
Hostis suus infensissimus est, qui in fine vitæ opes
sue aliis, quam sibi prodesse malit. 97. 98.

I.

- Indulgentiæ, & licentiæ plus erat legis, quam*
Evangelii sit tempore; & cur? 72. 73. &c.
75. &c.

L.

- Abi in fide excellentes etiam in Ecclesia Personæ*
permisæ sunt: ut error Magistri, tentatio esset
populi. 190. &c. 204. &c. 208. &c.
Lapso commorandum in lapsu non est. 55. 56. &c.
Levitas, & Sacerdotes antiquæ legis intra certum
verum habendarum limitem Deus coarctavit.

- Largitas, ac misericordia præcipua Sanctorum*
merita, & peccatorum remedia sunt. 99.
100.
Largitate nostra Deus eo dignior est, quo certius,
cunctis cuncta ab eo præstantur. 152.
Largitio prodest plurimum; sed non, redimendæ im-
munitatis fiducia, scelera committentibus.

- Litteris sacris perinde usi hæretici quomodo a Ca-*
tholicis discernendi? 230. 231. &c.
Lucra terrena, & opes querentium jaclura est
multiplex. 37. 38.

INDEX RERUM.

M.

- M**inichorum de Christi humanitate insana de-
liria. 202. 204. &c.
Mariam speciali gloria fraudare conatur, qui sen-
su vero Matrem esse Dei abnegat. 205. &c.
Mensura eleemosynæ multitudo est, magnitudoque
peccatorum. 61. 62. &c.
Ministros sacros tanto antestare ceteris oportet cum
omni, tum largitatis præcipue devotione,
quanto antestant omnibus dignitate. 82. &c.
Misericordia Dei erga hominem singularis. 140.
141.
Misericordia nomine quidquid quispiam dederit,
nihil magnum est. 89. 90.
Misericordia opera in lege tum veteri, tum nova
præcepta sunt. 88. &c.
Moriens quisque pro spe sua, quantum potest, re-
rum suarum, & facultatum offerre debet.
139. 140.
Munerum nostrorum officio Deus eget, & quomodo
152. &c. 154. &c.

N.

- N**Estorii quæ fuerit hæresis? 197. 198.
Novatorum, errores spargentium, genuinus
character. 185. 186.
Novatorum in procudendis erroribus nequitia.
183. 184.
Novitas omnis in fide vitanda est, custodienda an-
tiquitas. 217. 218.

O.

- O**pera misericordiae exigua facimus: quia redibi-
tionem largitionis a Christo repensandam non
credimus. 89. 90.

Op-

INDEX RERUM.

- Operis boni genus nullum tam exiguum est, quod sua apud Deum mercede careat.* 134. 135.
- Operum honorum in vita minus studiosi sunt homines: quia nec judicandos se a Deo, nec resurrecturos credunt.* 130. &c. 136 &c.
- Opes solæ homini ad damnationem sufficiunt.* 50. 51.
- Opes temporarias Dei munere habent locupletes in hoc seculo: ut eas, bene utendo, faciant semperernas.* 48. 49.
- Opes quæ sint, quas a Parentibus parari filiis Deus præcipit?* 42. &c. 125. &c.
- Opes, si non ob peccatorum redemptionem, dare saltem oportet ad emendam beatitudinem.* 89.
- Opes suas cui relinquere debeant divites, qui sibi esse consultum volunt?* 160. 161.
- Origenis laudes illustri compendio propositæ.* 208. 209.
- Origenis unius in fide lapsus tentatio fuit Ecclesiæ jure maxima.* 208. &c.

P.

- Parata in futuro nemo inveniet, quæ hic aut non indigentibus, aut etiam abundantibus distribuerit.* 164. 165. &c.
- Parentes, etiam inter filios suos heredes, salutis, animarumque suarum obliuisci minime oportet.* 119. 120. &c.
- Patrimonio suo aliis magis, quam sibi consulens, profutura sibi, quæ Deo dederit, omnino non credit.* 156.
- Patrum Sanctorum concordem sententiam qui spernit, contemnit Deum.* 237. 238.
- Quorum Sanctorum Patrum, & quæ sententiae pro indubitate babenda?* 235. 236. &c.

INDEX RERUM.

- P**eccare non definit, quem in extremis situm redere a criminibus sola tantum facit impossibilitas, non voluntas. 53. 54.
Pecccatorum hominum conditionem perditio quidem facit pecudibus esse similem, sed pena ramen graviorem. 127. 128.
Penitentia mortuorum sera est. 124. 125.
Photini secta quae sit? 196.
Praeceptorum Dei quot sunt genera, tot etiam adversariorum. 166. 167.
Promissionibus humanis spes commodatur; solius
Deus est, de quo desperatur. 91. 92. &c.

R.

- R**eatus divitium in quo sisus sit? 50. 51.
Reatibus tantum necessariis salus est; in superfluis Diaboli laqueus. 92. 93. &c.
Religio non, qua nos vellemus, ducenda; sed qua illa ducit, sequenda est. 181. 182. &c.
Religionem ingressis, quia bona inestimabilia appetunt, videndum sedulo, unde ranta a Deo emere possint. 86. 87.
Religionis Catholicæ profectus studiose curandas est, sed permutatio omnis declinanda. 221. &c.
Religious cur de propriis facultatibus nihil sibi relinquant? 181. 163. &c.
Religious etiam habent, quibus relictam sibi hæreditate substantiam transcribant. 115. 116. &c.
Religious etiam, temporalia possidentes, non ideo debitores Deo non sunt, quia secularium, graviora delicta parrantium, majora sunt debita. 69. 70. &c. 84. &c.
Religious non æqua ranum cum fratribus ceteris, sed & major patrimonii portio relinquenda est. 109. 110. 115. &c.

Re-

INDEX RERUM.

Religiosi non satis reddunt Deo, etiam si universas dederint facultates. 76. &c.

Religiosus perinde, ac irreligiosus debitor Deo est. 85. &c.

S.

*S*ancctorum etiam nemo est, qui multa Deo non debeat. 65. 66. &c.

Scriptura Sacra utentes hæretici cui similes sint?

Scripturam sacram hæretici varii varie accipiunt. 231. 232.

Scripturarum sacrarum canonis, ramis perfecto, cur Ecclesiasticae intelligentiae jungenda auctoritas? 174.

Scripturæ exemplis Diabolus ipse uti solet. 237. &c.

Scripturæ testimoniis plus omnibus uruntur hæretici; sed vel ideo magis omnibus fugiendi.

Spebus non bonis inititur, qui evasurum se putat; non quia bonus, sed quia dives sit. 54. 55.

Substantia terrena non Dei honori, & saluti propria, sed parum piis quibusvis hæredibus non sine reatu relinquitur. 45. 46. &c.

T.

*T*emporis reclus usus quare curandus? 171. 172.
Tertuliani encomium, & apostasia a fide.

*T*hesauros congregantium fidclium lugenda studia. 213. 214.

*T*raditiones Ecclesiae Catholicae cur magnopere curandæ? 37. 38.

*D*e Trinitate Ecclesiae doctrina, compendio mire perspicuo proposita. 174. 175. 199. &c. 206. &c.

*T*entatio Ecclesiae eo major est, quo doctior, qui in ea a fide aberrat. 192. &c.

R 6

Vero

INDEX RERUM.

U.

- V*eritas a falsitate in Scripturis sacris qua ratione Catholicis discernenda sit? 234.
*V*iduae viduitatis nomen ad eternam salutem non sufficit. 77. &c.
*V*irginibus sine larga misericordia nec ipsa profutura est integritas. 79. &c.
*V*irginum sacrarum illustre exemplum sunt decem virgines Evangelicæ. 79. 80. &c.
*V*ita, spes, salus propria cunctis omnino rebus, atque affectibus est preferenda. 117. 118.
*V*vendi alia ratio fuit in lege naturæ, alia esse in lege gratiæ debet. 72. 73. &c.

O. A. M. D. G.

